et illis Dominis Prioribus protestari, de aliquo non proponendo, arrengari, consuleri, vel reformari, quod tendat, contra utilitatem nri Cõis, et si predicta omnia non servaverint, incidat in quolibet casu, et vice in penam x lib. den. applicandam nro Cõi. Teneantur etiam inventarium facere, de omnibus rebus mobilibus nri cõis existentibus in palatio nri Gub.ris et aliorum officialium forensium, et in fine cuius officij eas recipere, et si que deficient, vel devastate reperirentur, curent ab eis recuperare, pena xl. sol. contrafacientis: Debeant insuper, sindici predicti etiam soliciti de nõ permittendo, a quoquam occupari vias et alia bona cõis, et occupatas recuperari curare, et singulis magistratibus, reviderè monitionem nri cõis, scilicet archibusiorum, Balistarum, mortariorum, Palestrarum, aliarumque rerum singularum, et prout habent in inventario, et si quid deficere invenerint notificent Dño Gub.ri pena x lib. den. tam ipsis sindicis, quam Gub.ri contrafacientis pro quolibet, et qualibet vice nro Cõi applicandarum.

De Paceriis Rub. XXXIV.

Attendentes ex privatorum odio, civilibusque dissentionibus publicam sepenumero perturbari quietem. Sanctimus, et ordinamus, quod singulis annis Calendis Jan.rij in generali consilio eligantur quatuor probi, et idonei cives, de dignioribus annis XL pro quolibet quarterio, qui soliciti sint in obviando futuris scandalis in pacificari, et ad concordiam reducendo, quoscumque odiosos, vel inimicos, presertim tempore quadragesimali, quibus et Gubernator ~~[illegible]~~, et Priores omne auxilium, et favorem prestare teneantur, et Gubernator si contigerit per ipsos paceriis, vel alterum eorum ad scandala evitanda, peti aliquos cogendos, sive, ad cavendum, non possit sub quovis pretextu ipsos paceriis examinare, ad effectum procedendi contra ipsos suspectos, et si dictus Gubernator fuerit negligens, vel in aliquo predictorum contrafecerit incurrat penam x

lib. den. pro qualibet vice nro coi applican., et de facto ab eo auferendas in sindicatu.

De Legatorum, siue oratorum officio Rub. XXXV.

Imminente necessitate nro coi, trasmittendi aliquos Legatos, seu oratores ad aliquem superiorem, Dnum, Ciuitatem, Uniuersitatem, Collegium, uel aliud quemlibet, si extra prouinciam, eligant. per consiliu generale, si uero intra prouinciam, eligant. per consiliu Comite. Et eorum officiu sit pru= denter, et fideliter explicare sibi iniuncta uerbis, quibus poterunt orna= tioribus, et teneant. deferre lras credentie, et memoriale continens sigil= latim negotia per eos pertractanda, manu nri Canc. rij scriptum, et nostro solito sigillo munitum, et circa ea tantum uersetur eorum officium et non excedant eorum mandati fines, in minus, uel plus in substantia, nec uigore talium lrarum credentie, siue memorialis pos= sint quicquam, pro se, uel alijs quibuscumque pertractare pena X lib. den. pro quolibet de facto auferendarum, et Nihilominus ad maiorem eorum confu= sionem talis eorum transgressio propalet. in generali nro Consilio, et ab officijs, et beneficijs omnibus nri cois, intelligant., et sint penitus, et omnino exclusi. Constituatur autem ipsis salarium arbitrio Dnorum Priorum habita consideratione longitudinis itineris, et si soli, uel cum famulis, pedibus, uel equester eant.

De Vicario Dni Gubernatoris Rub. XXXVI.

Statuimus quod Vicarius Dni Gub.ris habeat auctoritatem, et iurisdictionem cognoscendi causas ciuiles non excedentes summam unius floreni, et co= gnoscat, et decidat summarie simpliciter, et de plano, sine strepitu, et fi= gura iudicij sola facti ueritate inspecta, diebus quibuscumque etiam feriatis in honorem Dei, cuiusque officium sit, circa scribendum fideliter causas criminales

criminales, et procedendi desuper extraordinarijs omnibus et Inquisitionibus damnorum datorum, quas inventiones, extraordinarios damnorum datorum, et aliorum debeat annotare in libro ad hoc per eum statuendo, quem in fines sui officij consignare debeat in manibus dd. Priorum, et Cancellarij, et in absentia d. Gub.ris, vel legitimo impedimento detenti, possit ipse Vicarius, et debeat ius reddere, tam in causis ordinarijs, quam commissarijs, delegatis, vel subdelegatis, et in omnibus vicessitus Gubernatoris gerat, preter in proferendis sententijs diffinitivis, et interlocutorijs, vim diffinitivarum habentibus. Et si quid ultra debitum, vel contra formam Statutorum receperit, duplicatum restituere expellat, et nihilominus solvat pro pena nostro Comuni solidos XX. pro qualibet vice.

De Grascerijs Rub. XXXVij.

Statuimus, quod singulis annis Cal. Iulij, in consilio generali, sive Comitie eligantur duo sagaces viri, qui nuncupentur Grascerij, sive Abbundanzerij, et ab initio sui officij, nostro Cancellario iuramentum prestent, de exercendo fideliter et sine fraude eorum officium, quod sit curam solicitam habere, quod frumenta segetes legumina, et bestie quecumque macellande, non extrahantur de nostro territorio, nec alia quecumque ad victum humanum necessaria, eaque omnia venendi facere in hac nostra Terra, quandocumque opus fuerit, a quibuscumque ea habentibus pro pretio, quod ipsis grascerijs iustum videbitur. Habeant quoque autoritatem et potestatem querendi, investigandi, et ea suscipiendi ubicumque et cuiuscumque fuerint ad nostram Comunis utilitatem, eique facultate precipiendi cuicumque bestias habenti, ad ea conduci faciendum, quocumque opus fuerit. Volentes sibi a d. Gubernatore, et Prioribus, ac quibuscumque officialibus omnem favorem, et auxilium prestari, poena contrafacienti X lib. den. pro quolibet, et qualibet vice nostro comuni applicanda. Et penas quascumque per eos incidendas, vel ad eorum instantiam, per quoscumque officiales

25v.

imponendas contra inobedientes exigendi, et applicandi pro quarta Camere Ill.mi Domini, pro quarta vero Comuni, pro quarta alia ipsis Grascerijs, pro alia vero quarta officiali exequenti. Habeant quoque dicti Grascerij facultatem, et potestatem cuicumque macellario, Pizzicarolo, alijsque personis omnibus proijciendi quascumque res venales fetidas, mucidas, vel alia causa pro qua vendi non licere sibi videbitur.

De Bajulis, et Preconibus. Rub. xxxviij.

Statuimus et ordinamus, quod ubicumque Dominis Prioribus videbitur in generali consilio eligantur duo bajuli, quorum unus sit preco, seu tubicena, qui prius quam eorum officium exercere incipiant, coram Dominis Prioribus et Cancellario iuramentum prestent, de bene fideliter, et sine fraude, exercendo, quorum relationibus, citationum, bannimentorum et aliorum concernentium, eorum officium, plenam volumus fidem adhiberi. Volumus autem ipsos Dominis Prioribus inservire, et obedientes esse, et si in aliquo contrafecerint, ad instantiam Dominorum Priorum, per diem carcerari. Et eorum officium sit, in citandis quoscumque, et referendis, tenutas dandis, et executiones faciendo, Possintque in causis civilibus ad cuiusque instantiam, sine commissione alicuius Iudicis quoscumque citare. In criminalibus autem causis, volumus cautare de commissione in scriptis, et bannimenta per preconem facienda, ad cuiusque sit instantiam, fieri premisso sono tube, et per loca solita, prout actenus servatum fuit. Teneantur etiam precones associare Dominos priores, quocumque collegialiter iverint, poena xl. solid. et carcerationis predicte, pro qualibet vice.

De salario Bajulorum, et Preconum Rub. xxxix.

Salarium Bajulorum, et preconi a Comuni constituatur prout cum ipsis Dominis Prioribus

Dnis Prioribus ab initio convenerint, et alterius a nostro comuni petere non possint, nec a dno Gub.re, uel aliquo nostro officiali, quibus omnes citationes, precepta, banimenta, executiones, intimationes, et his similia gratis facere teneant.r Particularibus autem personis mercedem recipiant, pro qualibet executione, sive pignor.e intus terram quatrenu unu, extra vero terram, pro qualibet executione, sive pignore quatrenos tres. si cum officialibus nostre Curie; si autem cum officialibus alterius curie nihil consequi debeant. Precones autem, pro qualibet bannimento habeant Coronenum unum, et deferre debeant, omnes electiones et si extra terram devenerint habeant a nostro comuni, pro qualibet die, accessus, more, et reditus lib. duas, si contigerit electionem ab electo, non acceptari, sed si acceptet.r nihil a nostro coi consequi debeant. Consequantur etiam ipsi baiuli, et precones, pro qualibet citatione, cretenus facta intus terram quatrenum unum, si vero in scriptis quatrenos tres; foras autem pro qualibet citatione, quomodocumq facta quatrenos quinq, et teneant.r dicti baiuli, et precones, in quacumq die iuridica star.e in palatio, ad faciendum relationes, usq quo ius redditur, poena contrafacienti xx. solid. pro quolb. et vice qualibet de suo salario retinendor.

De electione Notarior. Civilium Causar. rub. xxx.

Statuimus, quod notarij eligendi, ad scribendum causas civiles, ad nostrum bancum sint maiores xx. annor., oriundi de hac nra terra et nostris statutis realiter, et personaliter subiecti, et creati, ab auctoritatem habente, ac ab aliquo doctor.e approbati, et in nra Canc.ria descripti, et in bussula positis, ex qua bussula, in principio cuiusq semestris, iuxta solitum sorte extrahant.r duo ex in ea immissis, et descriptis notarijs, qui nisi sint attinentes, usq in tertiu gradum sint notarij actuarij.

civilium causarum illius futuri semestris, et per dictos sex menses singulis diebus iuridicis, et a nostris statutis non prohibitis prestito prius iuramento in manibus nostri Cancellarij de bene, et fideliter exercendo eorum officium debeant seder ad solitum nostrum bancum iuris pulsata campana, et eorum officium sit, scriber fideliter, et annotar petitiones, responsiones, iura scripturas et alia omnia ad causas spectantia et eorum scripturis plenam volumus fidem adhiberi. Et non possint tales notarij dictum eorum officium per substitutos exercer

Quod Notarij Actuarij pro alijs non procurent
Rub. xli.

Ad tollendas omnes litigantium suspitiones, et fraudibus obviantes. Statuimus, quod nullus Notarius causarum civilium durante tempor sui semestris non possit, nec modo aliquo valeat, in causa alicuius procurar vel patrocinari, nisi in causis proprijs, parentum, et fratrum germanorum, pena x. lib. den. pro quolibet, et vice qualibet nostro com applicand.

Quod Notarij Actuarij habeant curam catastorum Rub. xlii.

Statuimus, et ordinamus, quod Notarij Actuarij, ut supra electi sollicitam, et diligentem curam habere debeant librorum nostrorum Catastorum, quos tener debeant in solita capsetta nostre Cancellarie clausa duabus clavibus retinend unam, per quemlibet actuarium notarium, et non sinant illam aperiri, nec catrasta videri, sine eorum presentia, cuius presentie copiam omnibus facere debeant, et sine mercede volentibus ostendere.

De bonis non cassandis de Catastis Rub. xliij.

Statuimus quod Notarij Actuarij predicti non possint bona aliqua de catastris cassar, vel remitter sine consensu partium pena cuilibet contrafacienti x. lib. den. et non possint de uno cassar bona aliqua quod in alio catastro non rescribantur pena xxv. lib. den.

De catastis non faciendis

De catastis non faciendis sine presentia DD. Prior. Rub. XLIV

Statuimus etiam, quod Notarij actuarij predicti, et non alij possint catastra facere sub pena V lib. den., tam ipsis actuarijs commoditatem prestantibus, quam ipsi notario non actuario catastra facienti. Et ipsi actuarij non valeant alicui facere catastrum aliquod sine consensu, et presentia saltem trium ex DDnis Prioribus, nominatim describendorum in quolibet catastro noviter faciendo, poena cuilibet contrafacienti X lib. den. pro quolibet, et qualibet vice de facto auferendorum per D. Gubernatorem, quandocumque, et ad cuiusque instantiam, in cippo Cois mittendorum, et nihilhominus catastrum contra formam presentis Statuti factum, non valeat ipso iure, et sine authoritate Consilij Gnalis.

De catastis non faciendis forensi, et non subdito Rub. XLV.

Item Statuimus, quod dicti Notarij, eorum habentes catastrorum, nec alij possint, sub quovis pretextu, etiam consentientibus, vel mandantibus DDnis Prioribus aliquod catastrum facere alicui forensi, vel alijs non subiectis nris Statutis, etiam si per longissimum tempus, in hac nostra terra habitaverint, nisi prius fuerit obtentum in generali nostro Consilio, pena, tam ipso notario facienti, quam DDnis Prioribus fieri mandantibus, vel consentientibus XXX lib. den. pro quolibet, et qualibet vice mittendorum in cippo Cois. Possitque DDnus Gubernator dictam penam ex officio, et ad cuiusque instantiam, quocumque temporis lapsu non obstante exigere teneatur, et nihilhominus catastrum sit ipso iure nullum

De Copia simplici danda Rub. XLVI

Statuimus, et ordinamus, quod quisque Notarius, ad cuiusque petentis instantiam obligatus sit copiam dare, quorumcumque Instrumentorum, substitutionum, legatorum, substitutionum Codicillorum, aliorumque contractuum, et ultimarum voluntatum

cuiuscumque sint generis in simplici copia omissis tamen die anno millesimo, et solemnitatibus illius instrumenti non concernentibus substantiam facti, et habeat pro eius mercede carolenos duos pro quolibet instrumento, pena contrafacienti, vel plus recipienti quinque lib. den. in cippo nostri cõis mittend. Teneatur etiam ipse notarius, cuique volenti instrumētum leger. pro mercede quatuor bononenos

De non actitando nisi coram Actuarijs Notarijs Rub. xlvii.

Statuimus, et ordinamus, quod omnia, et singula acta, productiones libellorum, productiones instrumentorum, et quarumcumque scripturarum, ac sententiae tam causarum civilium ordinariarum, quam commissariarum, delegatarum, vel subdelegatarum, cognoscendarum per D. Gubernatorem dictae terrae debeant annotari, et describi per notarios actuarios nostri banchi, et non per alios notarios, sive vicarios, alias acta, gesta, facta, scripta, vel annotata, per alios, sint ipso iure nulla. Non possint tamen dicti Notarij in causis commissarijs, delegatis, vel subdelegatis pro eorum mercede plus recipere, quam in causis ordinarijs, si inter Bictonienses, vel Bictonienses, et forenses agerentur, sed si inter forenses tantum merces duplicetur

Quod Notarij rogati de alienatione facta in forenses se denuncient Rub. xlviij.

Statuimus, quod quisque Notarius rogatus de aliquo instrumento alienationis rei immobilis, quomodocumque factae in forense, et in contrafactum huius statuti, teneatur pena .l. lib. den. nostro Comuni applicand. nisi qualibet infra x dies denunciasse dictam alienationem Dnis Prioribus, et Sindicis nostri Comunis; qui vinculo prestiti iuramenti debeant dictam rem alienatam pro nostro comuni vendicare, et pro precio convento, et pena incursa.

iuxta formam statuti secundi libri, de prohibita stabilium alienatione

Quod Notarij denuncient ultimas volutates post condentiũ mortem. Rub. xlix

Item Statuimus, quod nullus Notarius vinculo iuramenti, possit nec debeat alicui propalar', aliquas institutiones, legata, codicillos, substitutiones, fideicommissa, nec aliã dispositam voluntatem testatoris ipso vivente sed post mortem dicti testatoris, pena v. lib. den. pro quolt, et vice qualibet cũo cui applicand. infra tempus unius mensis a die mortis testatoris denunciasse teneat.

De Notario Pese Rub. l.

Statuimus, et ordinamus, quod in principio cuiusq bimestris ex bussulo nrõrũ notarioz sorte extrahat' unus, ex eis, qui sit notarius nrẽ Pese, et priusq̃ ad officium administrationem admittat', solemne prestet iuramentũ de fideliter, et sine fraude exercendo eius officiũ, quod sit, in ponderando omne frumentum, quod ad nrã molendina ad molendum defertur, et in reponderando farinam, et utrumq pondus diligenter annotando et continue stare teneatur in loco pese, tempor' quo cuiq licet ire ad molendum, et stare teneatur ab ortu solis, usq ad occasũ solis, pena xl. solid. pro vice qualibet de suo salario retinendoz, quod salarium sit xx. lib. den. pro eius mercede duoz mensium. et si in tali eius officio, aliquã fraudem committeret incidat in penã centũ lib. den. ipso facto, et nihilo' priuet' d. officio, a quo in perpetuũ exclusus censeat'. Curet etiam dictus Notarius pese, ut omnẽ in d. pesa, continue retineant' iuxta dispositionez antiquoz Statutorum sub rub. de Molarij, quibus denũciar' teneat' pena x lib. den. pro parte vice et ipsi Molarij in duplũ cuiq damnũ passo teneant'.

De officio officialium Domini Gubernatoris Rub. li.

28r. Statuimus, et ordinamus, quod duo officiales retinendi per D. Gubernatorem ad exercendum officium damnorum datorum, debeant etiam et teneantur facere quascumque executiones, reales, et personales, civiles et criminales sententias, et singulis saltem, diebus festivis de die, ac nocte querere arma deferentes, et festum non custodientes, et eos eorumque denunciare eadem die; Curareque, et vigiles esse debeant, ne aliqua committantur delicta, pena XX lib. den. pro vice qualibet, cuilibet contrafacienti.

Quod exequenda describant in Bastardello Rub. lij.

Item Statuimus, quod dicti officiales non possint alicui aliquam executionem facere, nisi per aliquem notarium actuarium, vicarium vel executorem communis vel nostram Cancellariam, debitores pro certa quantitate non fuerint descripti, in eorum bastardello, quod ad hoc habere debeant, et in eodem scribere omnes executiones factas, et in fine eorum officij dictum bastardellum consignare teneantur in manibus sindicatoris.

Quod officiales pro integra quantitate executionem faciant Rub. liij.

Statuimus etiam, quod officiales predicti teneant, et debeant pro integra debita quantitate summe principalis, et expensarum, contra quascumque committas executiones facere, recipiendo rem pro summa principali, et expensis equivalentem, alias nullam mercedem habere debeant, et si integraliter executionem non fecerint, teneantur nihilominus pro residuo executionem facere gratis, alias ipsi ad sindicatum teneantur rata ad interesse, et nostro communi in penam dupli eius quod receperint. Teneantur insuper dicti officiales infra biduum deferre pignora nostro depositario, a die facte executionis, omnia, et quecumque pignora, et executiones quomodocumque et qualitercumque, et ex quacumque causa factas, sub pena X lib. den. pro quolibet, et qualibet vice. Et executiones pro causis civilibus facere non possint diebus feriatis in honorem Dei pena X. lib. den. pro quolibet, et vice qualibet nostro communi applicanda.

De depositario.

De Depositario pignorum Rub. liv

Ne officialium negligentia, vel avaritia pignora, et executiones captę deperdantur vel deteriorentur, fraudibus alijs quibuscumque obviantes, et ad illarum conservationem. Statuimus, quod boni Priores, quandocumque opus fuerit, eligant hominem, de hac nostra terra oriundum, bone conditionis, et fame, qui nuncupetur pignorum Depositarius, et cuius officium sit suscipere, et curam diligenter habere, de omnibus, et singulis executionibus, et pignoribus, contra quoscumque, et ad cuiuscumque instantiam factis, et pro eis officiali deficienti solvere mercedem iuxta quantitatem executionis integraliter facti, et non solvat, nisi evidenter cognoverit pignus delatum pro integra debita creditori quantitate sufficere, et vendi posse. Curam etiam habeat subastandi faciendi omnes executiones, et pignora predicta lapso termino secundum formam Statutorum nostrorum, et venditorum pignorum pretium suscipiendi, et retinendi de eo, per ipsum officiali solutis, et sibi debitis, de reliquo satisfaciendi creditori pro quo fuit facta executio, et si quid superest, det debitori domino pignoris venditi. De quibus pignoribus, et executionibus ipse depositarius habere debeat pro sua mercede solidos duos pro quolibet pignore, et pro eo habere debeat abipso depositario pro quolibet pignore ter subastando, et vendito bononenum unum. Teneatur etiam ipse depositarius in fine sui officij rationem reddere, omnium, et quorumcumque pignorum, et executionum ad eius manus pervenientium, et si quas non venditas haber una cum libro, in quo pignora, subastationes, oblationes, et adiudicationes describit, consignet sindico, et bonis Prioribus.

De mercede officialium rub. lv.

Statuimus et ordinamus, quod officiales s. habernatores pro nostris Camerarijs et executoribus, teneantur facere quascumque executiones, subsidiorum, taxarum, et aliorum quorumcumque pro Comuni debitorum et pro eorum mercede habeant bononenum unum pro quolibet floreno, etiam pro executionibus vendendarium personarum contra quoscumque in casibus permissis, exequi teneantur

29v.

et pro eorum mercede consequantur soldos duos pro quolibet floreno, tam intus, quam extra terram, et per villas, et a floreno infra pro rata et plus a solventibus recipere non possint, pena dupli, a forensibus autem recipere possint mercedem duplicatam

De ratiocinatoribus Rub. lvi.

Statuimus, quod ubi pro parte nostri Comunis, esset revidendum, vel calculandum computum alicuius administrationis, vel alterius cause, officialis, vel particularis persone, domini Priores eligere debeant duos providos viros, quorum unus sit notarius, ut de eorum sententie ferende, instrumentum conficiat in libro sententiarum nostri Comunis, et antequam computa aliqua revidere incipiant coram dominis Prioribus iurent in manibus nostri Cancellarii de exercendo eorum officio fideliter, et sine fraude, et infra x. dies a die finiti officii illius cuius computa sunt revidenda debeant ea revidisse, et diligenter calculasse, et sententiasse condemnando, vel absolvendo ipsum administratorem, vel exactorem, prout facti qualitas exigit, in eorum sententia de facto realiter, et personaliter officiales exequi debeant si is cuius computa sunt revisa in aliquo nostro comuni condemnatus fuerit, et infra x dies, a die late sententie, cum effectu non solverit, merces autem dictorum rationatorum sint lib. quinque pro quolibet. Nolumus tamen ratiocinatores eligi consanguineos, vel affines ipsius cuius ratio foret revidenda, immo tam eligentes, quam ipsi consanguinei, vel affines electi acceptantes incurrant ipso facto pena x lib. den. pro quoto, et vice qualibet nostro Comuni applicand.

De extimatoribus Rub. lvij.

Item statuimus, quod per dominos Priores eligantur prout actenus servatum extitit duo probi viri experti, qui nuncupentur extimatores, et in principio eorum officii solemne prestent iuramentum, de fideliter, et sine fraude faciendo eorum officium. Eorumque officium sit, extimare omnia damna

tam manualia

tam manualiter, quam per bestias, et alias illata, simul et ambo, ita ut alter alteri cives suas committere nequeat, nisi tempore messis, et vindemmiae, in quibus temporibus volumus posse extimari, per alios non suspectos dan̄a illata, et teneant ipsi extimatores, ad instantiā cuiusque, quocumque opus fuerit ire ad extimandum, et id referendum in nostra Cancellaria, quorum extimationi volumus partes acquiescere, et executioni mandari, facta prius debitori intimatione, et pro ipsorum mercede extimatores a conducentibus consequantur bolonenos duos pro qualibet extimatione

De viarijs Rub. lviij

Ad conservandas vias nrē terrę, et eius territorij. Statuimus, quod boni Priores singulis annis Cal. Ianuarij eligant quatuor providos, et diligentes viros unum scilicet pro quolibet quarterio, qui appellent viarij. et eorum sit officium, in reaptari faciendo vias, et stratas nri Cōis, et extra terram, et procurandum earum terminationes, et occupationem relaxari, et taliter circa aptationes huiusmodi viarū, se habeant, ut nullū damnū nostrum comunē a Curia generali patiatur, quo casu volumus ipsos viarios ad omne nostri Comunis interesse teneri. Fontes, vias, stratas, et Pontes singulis saltem trimestribus revidere teneantur, et devastatos, et occupatos reaptari, et relaxari summa cum diligentia curent, et occupantes relaxare nolentes, denuncient D. Gubernatori, qui incontinenti occupantes, rem occupatā relaxare, de facto compellat, pena, tam ipsis non denunciantibus D. Gub.ⁿ non expedienti x lib. den. pro quolibet, et aliis qualibet aptationi viarū applicand.

Quod viarij terminationes faciant Rub. lix

Statuimus etiam quod viarij predicti teneantur, et debeant, ad cuiusque instantiā et quocumque opus fuerit ire ad terminandū, et terminos ubicumque sit indebitum immittendos immittant, et per ipsos immissos plenam firmitatem

30v.

haber volumus et pro veris, et iustis terminis, ab omnibus teneri, et pro eorum mercede, et labore habeant, si citra flumen terminos immiserint bononenum unum pro quolibet ab ipsis partibus, si vero trans flumen bononenos duos pro quolibet, ab eisdem, et dictorum terminationibus stari volumus, si evocatis vocandis facte fuerint, et extrahens terminos per eos sic immissos penam incurrant xxx lib. den. ipso facto, et is extraxisse presumatur, qui iuxta extractum termini bona possidet, presertim si, desuper controversiam habuerit.

De Auctoritate Viariorum Rub. Ix.

Statuimus, et ordinamus, quod Viarij predicti in reaptatione viarum, stratarum, pontium, fontium, et Clausure molendinorum, ac illorum terminationem, potestatem, arbitrium et facultatem habeant convocandi, et precipiendi vicinos, et alios quoscumque, et penam imponendi, usque ad quantitatem lib. x. den. et a singulis inobedientibus illam exigendi, que in aptatione predictorum convertantur. Possint etiam pro reaptatione predicta, ac terminatione viarum incidere arbores ubicumque et cuiuscumque existentes, et lapides tollere. Volumus etiam offitiales quoscumque teneri ipsis viarijs quandocumque ab eis requisiti fuerint, omne opportunum favorem prestare, et contra quoscumque ipsis viarijs inobedientibus exequi pena x. lib. den.

Quod debitores Cōis ad ipsius officia nō eligantur Rub. Ix

Statuimus, quod nullus debitor nri cōis ex qualumque causa, preter quam datiarum, subsidiorum, et collectarum, possit eligi nec electus assumi, ad aliquem honorem vel offitium nostri cōis, nec eius beneficio, et immunitate gaudere, donec realiter integre non satisfecerit eis, et ab eis acceptaverit, vel in aliquo offitio beneficio, vel immunitate nri Comunis se ingesserit penā ipso facto incurrat l. lib. den. nro cōi applicand. et teneantur Camerarius, Cancellarius

et sindici

et sindici comunis, qui de dicto debito notitiam habuerint dominis Prioribus propalare, et protestari, ne assumatur, pena cuilibet contrafacienti xl. solid. et nihilhominus talis debitor ab officio suscepto de facto per dominum Gubernatorem removeatur.

Quod assumptus ad unum aliud non suscipiat Rub. lxii.

Dubitationi interdum occurrenti obviantes, ne quis pluribus eodem tempore gravetur oneribus. Statuimus, quod si quis assumptus ad administrationem alicuius officij nostri comunis, eo pendente non possit ad aliud officium eligi, et si contigerit, ante assumptionem illius officij, huiusmodi electionem factam fuisse, et electionem pendente administratione alterius officij acceptare non cogatur, licet officia essent compatibilia, sed si contraria, vel incompatibilia suscipere nequeat.

Quod electus ad aliquod officium recusare non possit Rub. lxiij.

Congruum est commoda sentientes, incommoda quoque interdum substinere debere, propterea. Statuimus, quod quisque ad quodcumque officium comunis pie cause, vel alterius generis divitum, vel continuetim electus debeat tale officium suscipere, et administrare, prout, et sicut, ex forma statutorum, stili, vel consuetudinis tenet, et illud sub quovis pretextu preter apparentis infirmitatis vel decrepitatis renuere non possit, et renuens et officium suscipere nolens incidat ipso facto in penam xl. lib. den. de facto auferendam et applicandam nostro comuni, et domini Priores exigi facere, ac de eorum proprio teneantur, et nihilhominus in locum renuentis alter extrahatur, et virtute presentis statuti, ex nunc intelligantur, et sint tales renuentes officia privati, omni huiusmodi commodo, et immunitate, ac privilegio nostri comunis, quibus gaudere non possint neque amplius infuturum ad quovis nostri comunis officium eligi, pena cuilibet eligenti x lib. den. pro quolibet et xx. lib. den. ipsi electo acceptanti, et nihilhominus ipsa electio sit ipso iure nulla.

Quod pro pauperibus procurator constituatur. Rub. lxiiij

31v. Pauperum necessitatem attendentes statuimus, et ordinamus, quod in principio cuiusque semestris, de bussula notariorum ultra duos actuarios extrahatur alter, qui nuncupetur procurator pauperum, qui teneatur durante illo semestri gratis procurare, et defendere omnes causas pauperum, et miserabilium personarum. quae autem sint pauperes, et miserabiles personae stet arbitrio, et declarationi Dominorum Priorum, et talis notarius procurator electus pro sua mercede, et salario dicti semestris habeat, et consequatur a nostro communi florenos quatuor.

De supernumerariis Rub. lxv.

Ex absentia, infirmitate, vel morte alicuius extracti officialis solet interdum nostra respublica detrimenta sufferre, ex quo statuimus, quod anno quolibet in consilio centum, quando eliguntur Priores, eligantur quoque quatuor probi viri, unus scilicet pro quolibet quarterio, et supernumerarii nuncupentur, et obtenti in dicto consilio unusquisque de per se scriptus in cartula reponatur in cassetta Dominorum Priorum, et ubi aliquis ad aliquod officium fuerit extractus, qui sit absens non rediturus in termino, vel exercere nolit, vel non possit legitimo impedimento detentus, vel defunctus, extrahatur unus de predictis cartulis, et qui in ea reperitur descriptus ponatur, et sit in loco deficientis predicti, preter priores defunctos, si talis prior filium idoneum habuerit, quem in officio patris predefuncti preferri, et poni volumus.

Quod doctores honorentur Rub. lxvi.

Ex doctoribus, et litteratis personis, et ex commoditate eorum presentie solet nostra respublica et particulares etiam personae, honorem, et utilitatem non modicam reportare, et eorum gloria aliis conterigenis in exemplum transire. Ideo eorum laboribus, impensis, ac meritis in aliquo gratificari volentes, statuimus, quod quicumque ex nostra terra oriundus

et conterrigena

et centevigena debitam doctoream, uel magistralem coronam, alicuius the=
ologalis, legalis, uel philosophie scientie, ab aliquo uniuersali, uel alio collegio authoritatem habente huiusmodi conferendi dignitatem, non a particulari persona reportare meruerit, per concurrentem uirtutem, habere, et consequi debeat de nostro comuni florenos uiginti.

Quod non proponatur de uendenda, uel
donanda re stabili Comunis Rub. lxvij.

Statuimus, et ordinamus, quod nemo presumat aliquo modo directe, uel indirecte proponere, uel proponi facere, per se, uel per alium, in aliquo Consilio cernita, uel parlamento generali, uel speciali de uendendo, donando, alienando, uel ad longum tempus pignorando, uel locando rem stabilem, et immobilem, uel que pro stabili et immobili habetur, pena tam ipsi proponenti, quam cuicumque Priori proponi sinenti et Cancellario scribenti l. lib. den. pro quolibet, et uice qualibet, et nihilominus quicquid factum, dictum, consultum, propositum arrengatum, obtentumue fuerit contra dispositionem presentis statuti irritum sit, et non ualeat ipso iure, sine alia iudicis declaratoria.

De modo locandi, uel uendendi Prouentus Cois Rub. lxviij.

Prouentus, siue redditus aliquos dicti Cois uendi prohibemus nisi necessitate, uel alia rationabili causa imminente, et resolutione facta per consilium generale, quibus imminentibus et resolutione stante Statuimus modo infrascripto uendi. quod fiant prius, quam plurimis bannimentis per loca solita, et consueta, quod tale quid uendendum emere uolens, uenire debeat, pro certa die, qua uendi et distribui debet et uolumus ad candelam accensam plus ultimo loco offerenti uendi, cum idoneis fideiussoribus, qui authoritate presentis statuti absque

principalis assumptione teneant, et obligati sint; Possint tamen a dicto principali quicquid pro eo solverit recuperare, cum damnis, et interesse de facto, per Curiae officiales exigend. quas venditiones volumus intelligi, et censeri factas omni emptoris periculo, et fortunae, pestis, guerrae sterilitatis, casus fortuiti, et insoliti, et teneri pretium solvere nostro Depositario de bimestri in bimestri, alias teneri ad omne nostri Cois interesse, vel damnum passum, pro rata tamen solutionis in tempore non factae.

Quod conductores rerum Cois pro mercedis remissione non supplicent. Rub. LXIX.

Viam fraudibus claudentes. Statuimus, et ordinamus, quod nullus conductor, vel emptor, alicuius rei, proventus, vel redditus nostri Cois, possit in consilio generali, vel Comitio aliquam supplicationem dare, vel producere, sive quid aliud proponere pro obtinenda in totum, vel in partem, aliquam mercedis, sive premii promissi remissione, poena ipsis Prioribus, et Cancellario acceptantibus, proponentibus vel proponi sinentibus X lib. den. pro quolibet, et vice qualibet nro Coi applicand., et nihilominus si quid in favorem ipsius conductoris fuerit obtentum irritum sit, et nullum ipso iure.

Quod salariati nri Cois non se absentent. Rub. LXX.

Experientia docet, quod nra Resp. ultra superfluas impensas, quamplurima etiam interdum patitur detrimenta ex absentia nrorum salariatorum; qui relictis eorum officiis, sine aliqua licentia, saepenumero se absentant. Propterea statuimus, quod nemo coadiutor, vel salariatus a nro Coi, pro qua vis causa, absentare se possit a dicta terra sine expressa licentia Dnorum Priorum, usque ad quinque dies.

dies, abinde vero supra nolumus dari licentia sine consilio generali, et obtineri per tres, ex quatuor partibus consiliariorum, et alias obtenta licentia pro denegata habeatur poena cuilibet contrafacienti x l. solid. de eorum salario pro qualibet die retinendorum, et ad omne interesse per ipsam universitatem, vel per particulares, quoscumque passum quomodolibet retinendum ut supra.

Quod dies absentiae D. Gubernatoris annotentur. Rub. lxxi.

Statuimus, et ordinamus, quod DD. Priores Cancellarius, et Sindici pro tempore teneantur, et obligati sint, de absentia D. Gubernatoris eius Vicarij, et officialium absentiarum facere diligentem requisitionem et singulis diebus eorum, et salariatorum, conductorum absentiae punctari, et annotari facere per ipsum Cancellarium, dictasque punctationes et annotationes sindicandorum, tempore eorum sindicatus dari in manibus suorum sindicatorum, alias ipsi DD. Priores, Sindici et Cancellarius in solidum teneantur de eorum proprio punctationes, et annotationes predictas pro Comuni solvere, et reficere.

De observantia Statutorum. Rub. lxxij.

Statuimus, decernimus, et ordinamus, quod omnia et singula nostra statuta, in presenti volumine descripta, perpetuo precise et inviolabiliter in futurum observentur, quocumque iure, stilo, consuetudine, vel alia constitutione in contrarium non obstante, tam per Iudices, Gubernatores, quam per alios quoscumque officiales, et particulares personas ad quos pertinuerint poena cuilibet non observanti l. lib. den. officialibus de suo salario tempore sindicatus retinendarum.

De iuribus preferendis Rub. lxxiij.

Et quoniam omnes casus, et facta considerari non possunt, nec per Statuta decidi. Ideo statuimus, et decernimus, quod si ullus casus adveniens non reperiretur decisus per nostra statuta, eo casu per nostra statuta, eo casu per D. Gubernatorem, una cum DD. Prioribus, procedendo de similibus ad similia, volumus fieri ad similationem, que ubi deficeret volumus decidi per Egidianas constitutiones, et in earum defectu, per ius canonicum, et ipso quoque deficiente, ius comune civile servetur. Istis autem omnibus deficientibus laudabiles nostras consuetudines a iure non improbatas inviolabiliter servari volumus.

De replicando contra derogationes statutorum Rub. lxxiiij.

Si per importunitatem, vel falsas aliquorum suggestiones, vel alias in futurum contigerit nostris statutis, vel alicui eorum, per litteras vel rescripta seu alio quolibet modo, per aliquem nostrorum superiorum derogari, vel quomodolibet contra, decerni, disponi, vel dispensari. Statuimus, et decernimus, quod Domini Priores debeant, et teneant recurrere, et recurrere, et unam, vel plures oratores, prout sibi magis expedire visum fuerit sumptibus nostri Comunis trasmittere ad supplicandum, et ad impetrandum, quod nostra Statuta precise observent, per ipsis DD. Prioribus singulis vicibus x. lib. den. pro quolibet de eorum salario retinendorum.

De Catastro non faciendis nuptis forensibus Rub. lxxv.

Statuimus, et ordinamus, quod mulieres forensibus nupte nullum in futurum habere possint catastrum in libris nostri Comunis ordinariis, sed si qua stabilia in dotem receperint describantur in libro particulari forensium non gaudentium, quacumque consuetudine vel aliis in contrarium non obstantibus quibuscumque

Quoad in statu

Quod ad instantiam ascendentium descendentes Carcerentur. Rub. lxxvi

Quoniam sepe monitiones parentum, descendentes parvi faciunt, et contemnunt, et indies deteriores efficiunt. Statuimus, et ordinamus, quod Gubernator, sive Iudex noster pena .l. lib. den. ad instantiam cuiusq. ascendentis descendentes, seu discendentes, absq. aliqua impensa carcerari facere, et detinere, per tres dies, et plus si ipse iudex, sive Gubernator expedire cognoverit.

De venditione Pedagij Rub. lxxvii.

Statuimus, et ordinamus, quod Pedagium, sive gabellam nri Cois more aeterno observato vendatur sc. quod anno quolibet, in festo Paschatis Resurrectionis D. N. Iesu Xpi, sive alio tempore, prout expediens fuerit vendi debeat, et vendatur per DD. Priores dictae Terrae, obtenta prius licentia, et authoritate vendendi dictum pedagium a Consilio generali, vel certis factis etiam prius plurimis bannimentis in diversis diebus, et horis, ac locis solitis, et in foro, ac in die fori, quod conducere volens dictum pedagium offerat, et plus offerenti ultimo ad candelam accensam alijs prioribus oblationibus, prius factis existentibus, vel etiam non existentibus vendatur. que pedagia, emptor, sive conductor teneatur, et debeat pretium predictum per ipsum oblatum solvere de trimestri in trimestre, pro rata tangente Depositario nri Cois pro tempore existenti.

De pena fraudantium Pedagium Rub. lxxviii

Item Statuimus, quod quicumq. defraudare ausus fuerit nostrum Pedagium incurrat penam ipso facto quinq. florenorum, pro quolibet, et vice qualibet et nihilhominus perdat res in fraudem delatas, una cum bestijs illas portantibus, applicandam pro dimidia parte nro Coi, pro quarta accusatori, pro alia vero quarta, pedagij conductori sive alteri accusatori

34v.

et cuicumque liceat, pedagium fraudantes accusar(e), denu(n)tiar(e), et una cum rebus capere, ducer(e), et Curie presentar(e), et habeat quartam partem c(on)dictar(um) penar(um), et rerum.

De exactione Pedagij Rub. lxxviiij

Statuimus insuper, quod nemo possit exiger(e), vel colliger(e) gabellam, nisi qui ipsam emerit a n(ost)ro Communi, vel alter de sua Familia, qui emptor non possit exiger(e), pro ipso pedagio pro rebus infrascriptis, plus quam, in calce car(um), annotatum reperitur, et ab inde infra, pro rata, sub pena centum sol. pro quolibet, et qualibet vice, qua plus accepisse fuerit inventum.

In primis pro qualibet salma panni lane bononenos quatuor
Pro qualibet salma rer(um) aromatariar(um) bon. quatuor
Pro qualibet salma bombicis bon. quatuor
Pro qualibet salma carnis bon. ~~quatuor~~ tres. 3.
Pro qualibet salma piscium bon. duos
Pro qualibet salma vini bon. duos
Pro qualibet salma lini bon. quatuor
Pro qualibet mattella lini sol. unum
Pro qualibet salma canapis bon. quatuor
Pro qualibet salma ferri laborati bon. quatuor
Pro qualibet salma anepor(um) bon. quatuor
Pro qualibet salma lane bon. quatuor
Pro qualibet salma arnesior(um) bon. tres
Pro qualibet salma alior(um) arnesior(um) bon. duos
Pro qualibet salma guarnelli panni lini sive canapis bon. tres
Pro qualibet petia panni lini sive canapis sol. unum cum dimidio
pro quolibet bracchio

Pro quolibet brachio panni alti lanę quatrenos duos
Pro quolibet brachio panni bassi lanę quatr. unu
Pro qualibet salma fili sive acię bon. tres
— Pro qualibet salma cator. bon. tres
Pro qualibet salma piscium salator. bon. tres
— Pro qualibet salma casei bon. quatuor
— Pro qualibet salma malor. arantior. bon. tres
— Pro qualibet salma olei bon. duos
Pro qualibet salma ovor. bon. quatuor
— Pro quolibet Hebreo, sive Hebrea transeunte bon. unu
Pro qualibet salma Croli, sive Zaffaranimis bon. duodecim
— Pro quolibet sue sive porcho solidu unu cu dimidio
Pro qualibet bestia castratina solidu unu
Pro quolibet equo ad capitiu ducto bon. duos
— Pro qualibet salma Bicolari sive cuppor. quatr. tres
Pro qualibet salma laterum sive mattonor. quatr. tres
Pro qualibet salma cadorum sive bariloz bon. duos
Pro qualibet salma bigonzori bon. duos
Pro qualibet vegete sive botte bon. unu
Pro qualibet salma coraminis bon. quatuor
Pro qualibet salma pellium bon. tres
Pro qualibet salma carte bon. quatuor
Pro qualibet salma pellium cu pilo laboratarum bon. quatuor
Pro qualibet salma Cribellorum sive gruglariarum bon. duos
Pro qualibet salma caldariorum bon. quatuor
Pro qualibet salma vitri laborati bon. duos

35v.

P(r)o qualibet salma frumenti leguminis, vel segetis bon. duos
P(r)o qualibet salma cottami bon. duos
P(r)o qualibet salma allei, seu cepa(rum) bon. duos
P(r)o quolibet pari pullo(rum) solidu(m) unu(m) cu(m) dimidio
P(r)o quolibet pari pullorum parvo(rum) solidu(m) unu(m)
P(r)o qualibet salma pullorum bon. quatuor
P(r)o qualibet salma buccca(rum) bon. duos
P(r)o qualibet salma velettorum bon. quatuor
P(r)o qualibet salma funium bon. tres
P(r)o qualibet salma centro(rum) bon. tres
P(r)o qualibet salma aceti bon. duos
P(r)o qualibet bestia grossa bon. duos
P(r)o qualibet salma cementi, sive calcine solidu(m) unu(m)
P(r)o qualibet salma lignorum solidu(m) unu(m) cu(m) dimidio
P(r)o qualibet salma arundinu(m) sive canna(rum) solidu(m) unu(m) cu(m) dimidio
P(r)o qualibet salma tabularum bon. unu(m)
P(r)o qualibet salma pomorum bon. unu(m)
P(r)o qualibet salma ficorum siccorum bon. duos
P(r)o qualibet salma circulo(rum) bon. unum
P(r)o qualibet salma piponu(m) bon. unu(m)
P(r)o quolibet panno ad valorem dicati solidu(m) unu(m)
P(r)o qualibet salma pitarteni bon. duos
P(r)o quolibet libro cooperto vel battiis ligneis bon. quatuor
P(r)o quolibet libro non cooperto bon. duos
P(r)o qualibet salma libro(rum) bon. octo
P(r)o quolibet trapeso ligneorum edificio(rum) bon. quatuor

P(r)o qualibet

Pro qualibet salma de curventiu plandettor sive costalia bon. duos
Pro qualibet salma sorgenior bon. quatuor
Pro qualibet salma columnine bon. unu
Pro qualibet salma herbarum bon. unu
Pro qualibet salma florum bon. unu
Pro qualibet salma arborum plandarum bon. duos
Pro qualibet salma glandium bon. unu
Pro qualibet libra seni bon. unu.

Quod emptor Pedagij fraudantes Gabellam
denunciet Rub. LXXIX

Statuimus quod si quis ex dictis gabellariis, aliquod fraudum seu gabellam fraudantes invenerit, teneatur per totam diem illam in qua fraudem invenerit DD. Prioribus denunciasse, et contrafaciens incurrat penam X. scutorum applicandam pro me dietate Cam.ae Ill.mi D.ni, pro quarta nostro loci, et pro alia quarta accusatori, et officiali exequenti, omni qualibet exceptione remota.

De monetis Rub. LXXXI

Ne in futurum aliqua de super monetis oriatur difficultas, cum in presenti Statutorum volumine de pluribus, et diversis monetis mentio fiat statuentes declaramus
Quatrenum esse omnibus viliorem monetam
Solidum esse duorum quatrenorum
Baiocum esse duorum solidorum
Bononenum esse quinque quatrenorum
Carolenum esse sex bononenorum.

361

Libram esse octo bononenorum
Iulium esse idem cum libra
Florenum esse quinque librarum
Scutum esse duorum florenorum
Denarium autem licet maiores vitiorem monetam quatreno habuerent, nos tamen denarium, et quatrenum unum, et idem esse constituimus, et si de alia moneta in presenti Statutorum volumine hic non declarata mentio fieret recurratur ad communem usum loquendi.

De Mensuris, et ponderibus Rub. LXXXII.

Statuimus etiam, quod non possit vendi, nec emi nisi cum mensuris, et ponderibus nostri Comunis, quae mensurae, et pondera sint, prout actenus servatum extitit videlicet
Libra duodecim unciarum
Uncia vero octavarum
Bracchium panni lanei prout designatum reperitur in ferro existente in pariete nostri Palatii in publica platea
Canna Panni lanei trium bracchiorum
Bracchium panni linei maius bracchio panni lanei in uno tertio
Canna terrae decem pedum
Pes prout designatus reperitur in ferro dicti parietis nostri Palatii.
Pugillus sit centum pedum
Stadius decem pugillorum
Modiolus decem Stadiorum
Quartus cum quo mensuratur frumentum, et aliae segetes prout in scala superiori nostri Palatii in lapide concavatus invenitur.

Rasenia quatuor

Rasenia quatuor quartorũ
Salma decem quartorũ
Cuppetellus sexta pars quarti
Salma vini seu musti duarũ broccarũ
Brocca sexdecim boccalium
Boccale quatuor foglietarũ
Foglietta prout circa aũo comuni habet, et cum eisdem mensuris oleum quoq mensurari volumus, et hac cum dictis ponderibus venũdi
Caldarellus olei quatuordecim boccalium, et si de alijs mensuris, vel ponderibus mentio haberetur de quibus in presenti rubrica non fieret mentio recurrendum esse decernimus, ad comunẽ usum loquendi.

De Mensuris, et ponderibus sigillandis Rub. lxxxiij

Ad aliquorũ fraudes comprimendas. statuimus, quod volens aliquid ad pondus, vel mensuram, vendere, non possit ponderare, nec mensurare, nisi cum mensuris, et ponderibus nostri Comunis, sive adiustatis in predictis, et signatis signo nostri Comunis infra octo dies a die introitus cuiusq novi pretoris, per conductorũ nostrorũ mensurarũ, nec aliquis possit mensuras, vel pondera non adiustata et signata ut supra, ad vendendum retinere pena in quolibet casu, et vice viginti solidorum pro quolibet pondere, et mensura, et censeatur retinere pro vendendo si in loco, vel apotecã, ubi res venales habet. Retineat vendens autem cum ponderibus, seu mensuris non signatis, vel non iustis pena x lib. den. puniatur, et pondera, vel mensure applicentur aũo Co-

X 371

De foro Rub. lxxxiiii

Forum, sive mercatum in hac terra fieri decernimus in qualibet die Veneris, prout antiquitus extitit observatum, in platea nostri Comunis de omnibus rebus, preter quam de animalibus de quibus fieri debeat in platea mercati, extra portam sancti Petri, nec alicui liceat, de rebus venalibus, que ad forum deferunt' alibi, quam in dictis locis emere, filar', vel aliud opus exercer' pena in quolibet casu xx solidor'

Quod uno emente alter non offerat Rub. lxxx~~iiii~~v.

Nemo offerat, vel offerri faciat, super aliqua re venali, alio presente, emer' volente, et prius offerente sub pena quinque lib. nisi prius offerens a venditor' exclusus fuerit.

Quod omnis terra sit allibrata, et de ea libra solvat' Rub. lxxxvi.

Veteri statutor' dispositione adherentes. Statuimus quod nemo possit retiner' aliquod petium, vel tenimentum terre cuiuscumque generis quod in suo catastro, non sit allibratum, et quod de eo non solvat' libra, et possidens, vel retinens intelligatur, et sit clandestinus possessor, et tale petium terre, intelligatur, et sit nostri comunis, et quandocumque possit, per quemcumque officialem a tali possessor' pro nostro Coi de facto, et nullo iuris ordine servato una cum fructibus auferri omni, et quacumque exceptione iuris, vel facti remota.

Quod terrigena, affectus habitare, et in hac terra per certum tempus Rub. lxxxvii.

Maiorum instituta sequentes. Statuimus, quod quicumque forensis fuerit

noster terrigena

noster terrigena effectus, uel efficiendus, siue ciuilitate donatus, uel donandus, debeat ipse, uel eius descendentes, ad minus per sex menses, in hac nostra Terra quolibet anno inhabitare, et non habitans, nec ipse, nec sui predicti, possint aliqua bona immobilia in dicta terra, uel eius districtu emere, et nihilhominus precium rei emptę, perdat, et applicetur, pro dimidia Camerę Ill.mi D.ni, et pro alia dimidia nostro comuni executori, et accusatori pro equalibus portionibus, et contractus desuper celebratus sit ipso iure nullus dicta ciuilitate, consuetudine, uel aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Quod rogitus alienationum fiant per nostros Notarios tantum Rub. lxxxviij

Statuimus, quod quicumque uelit rem aliquam immobilem alienare, ac eum eo desuper dicta alienatione, contrahere uolens, teneatur de ipsa alienatione rogitum suscipere facere, per aliquem notarium dictę Terrę, in nostra Cancellaria descriptum, et ad acta causarum ciuilium scribenda imbussolatum, et non per alium notarium, qualiscumque authoritate fungentem et emptio, uenditio, permutatio, siue quelibet alia alienationis, rerum immobilium, species aliter facta, uel per alios notarios suscepta, sit ipso iure nulla, et nihilhominus, ipsi contrahentes, incurrant, penam xxv. lib. pro quolibet

Quod uicinus uicino non habenti uiam uendat Rub. lxxxviiij.

Statuimus quod si quis habuerit aliquem bona, uel possessionem, siue terras, et uiam publicam, uel uicinalem pro illuc accedendo, non habeat

vicinus, vel vicini, teneantur eam sibi vendere, per locu magis commodum, et minus vendenti damnosum, iusto pretio, declarando per duos homines communiter eligendos.

De latitudine viar. intus Terram Rub. lxxx

Statuimus, quod vię seu stratę principales dictę Terrę, per quas itur a platea ad portas terrę recto tramite esse debeant, et sint latitudinis ad minus septem pedum, ad pedem comunis ordinarii, et ubi ampliores, et latiores essent, non coartentur modo aliquo, in reliquis vero vijs servetur latitudo antiquitus costituta.

De latitudine viarum extra Terram Rub. lxxx.i

Statuimus, et ordinamus, quod vię reales comunis extra terram esse debeant, et sint, ad minus octo pedum latitudinis ad pedem Terrę, iuxta mensuram comunis, et ubi esset maioris latitudinis nō restringantur, sed manuteneant. Comunes vero vię sint, et esse debeant latitudinis quinqȝ pedum iuxta mensuram predictam. Vicinales autem sint latitudinis trium pedum, ut supra.

De Statutis intelligendis prout dicunt nec extenden. Rub. lxxxij

Statuimus, quod omnia, et singula statuta in presenti volumine contenta intelligi debeant simpliciter, et de verbo ad verbum, prout iacent, et non glosentur, interpretentur, nec modo aliquo extendantur nisi in penalibus, in casibus deficientibus de similibus ad similia, et non aliter nec alio modo.

Quod Domini Priores teneantur visitari molendina
Rub. lxxxiij.

Item statuimus, quod DD. Priores teneant visitar molendina temporibus eorum prioratus saltem per unam vicem tantum, ut molendina eorundem super flumine Limis, et fossas molendinelle, et revider mensuras, et cuppitellos in dictis molendinis existen, et eas adiustari facer. Et etiam teneant simile mensuras sic adiustatas consignari. Finita condutta molendinariorum suis molendinarijs, et omnia facer adnotari per nostrum Cancellarium in libris ad id deputatis, et contrafacientes amittant expensas, et salarium.

Quod Domini Priores teneant visitar terminos
Rub. lxxxiiij.

Statuimus etiam, quod Domini Priores qui pro tempore fuerint, teneant tempore eorum prioratus, visitar omnes terminos inter Communitates existen, et ea adnotari facer per nostrum Cancellarium in libris ad id deputatis, et habeant pro eorum laboribus sacchi unum, et contrafacientes ammittant expensas, et salarium

Quod DD. Priores teneant visitar silvam Sargueti Rub. lxxxv.

Statuimus insuper quod DD. Priores, qui pro tempore fuerint teneant visitar tempore eorum prioratus silvam Sargueti, et similiter eam adnotari facer per nostrum Cancellarium in libris ad id deputatis et habeant pro eorum laboribus Julios sex, et contrafacientes amittant expensas et salarium.

39v

Liber secundus

Proemium secundi libri

Postquam a iure illo primevo, quo omnia, omnibus comunia erant recedere, et meum, a tuo, homines distinguere ceperunt, ne humanum commercium corrueret, et ad tollendas lites, et questiones, que inextinguibiles quotidie oporiuntur, leges, quibus homo, natura civilis alligaretur subordinari necesse fuit, et insimul eis certos preponi, cum alias frustra leges fierent, nisi qui illas executioni mandarent, essent. Ex quo insimul quamplurime veniantes, villas, Castella, Urbesque, que teste Philosopho, societates sunt quedam, que sine legibus subsistere, et perdurare nequeant construere inceperunt. Hinc municipalia, hinc mores, et consuetudines, hinc senatus, consulta, et plebiscita, hinc principatus, et prudentum responsa, hincque actiones, et alia omnia civilia, et pretoria remedia prope innumera ortum habuerunt. Quibus, etsi tot tantique Ill.mi Principes in unum reducere accurate operam dederint. Attamen, cum plura sint negotia, quam verba, et nova in dies crescentia negotia, novaquoque egeant provisione perfecte efficere non valuerunt. Quapropter Cupientes hanc nostram Remp. rite, ac recte gubernari, et litigantium dispendiis, et publice quieti occurrere, nec non prolixos, et obscuros iudiciarios tollere ordines ad breve ac claram prevenium proposite reducere duximus

De citationibus presentium Rub. I.

Statuimus, et ordinamus, quod baiuli, et precones sibi cois valeant sine aliqua ~~[illegible]~~ Gubernatoris, vel alterius Iudicis commissione. ad cuiusque instantiam, quascumque personas collegium, et universitatem citare, etiam sine cause expressione, et tales citationes valeant in causis civilibus et criminalibus similiter intentatis. Volumus tamen citationes fieri

una die pro altera iuridica, et citationem bis domi saltem cum
interuallo saltem tridui valere, uti personalem in quibuscumque
actis intentatę causę, preter in primo actu in quo volumus
citationem fieri personaliter, et contra in Iudicio presentem
posse agi absque alia citatione, pro minoribus autem, furiosis,
mutis, mente captis, prodigis, et aliis agere non valentibus citen-
tur coram tutores, curatores, vel procuratores, si habuerint, alias
dari petantur.

De citationibus forensium, et non habitantium Rub. ii.

Item statuimus, quod quando citandus non habeat domicilium in
hac nostra terra, vel territorio, vel est forensis baiulus, de commissio-
ne Iudicis siue Gubernatoris, vel Vicarii ad fenestras Palatii ipsius
Gubernatoris, alta, et intelligibili voce ipsum forensem, vel non ha-
bitantem bis citet, cum interuallo saltem diei ab una ad alteram
citationem, pro certa die, et eodem modo citetur, etiam is qui
habet domicilium, sed non habitat, vel se absentat. Si vero foret
citanda uniuersitas, collegium, vel aliud comune corpus, citetur
coram sindicus, vel procurator una die pro altera, et citationes quas-
cumque factas in die feriata etiam in honorem Dei pro die non
feriata volumus valere, ac si facta esset in die non feriata. He-
redes vero citandi, sub voce appellatiuo heredes, citentur in pre-
iudicio causę in scriptis ad domum defuncti, per affixionem cedulę
de mandato Iudicis cum eius sigillo sigillatę, et continentis de quo,
et pro qua die citetur, in aliis vero actis citetur, ut supra.

De feriis

Liber secundus
De feriis Rub. iij.

Statuentes decernimus, quod in causis civilibus, vel criminalibus intentatis in hac n.ra Terra, per aliquem Gubernatorem seu Iudicem ordinarium Commissarium delegatum, vel subdelegatum Ius reddi prohibemus singulis diebus, et temporibus infrascriptis, quos feriatos esse volumus, et mandamus per Notarium acta, non rescribi, nisi per aliquod aliud Statutum aliter disponeretur, et actum, factum gestum, decretu, vel ordinatum, sit ipso Iur. nullum Qui Dies, et tempora sunt ista vz. Omnes Dies Dominici. Festum Nativitatis Dni Nri Iesu Xpi cum duobus precedentibus, usq. ad secundam diem post Epiphaniam. Festivitates Beatę Virginis Marię, vz Assumptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Visitationis, Sanctoru Apostolor, Evangelistar, et quatuor Doctor Ecclesię. Sancti Sebastiani, sancti Blasij, Beati Petri Eremitę, Sancti Antonij de Padua, S.ti Antonij de Vienna, Dies Cineris, cum duobus precedentibus, S.ti Ioseph. Festum Resurrectionis Dni Nri, cum septem precedentibus, et septem subsequentibus, festum Ascensionis, cum una sequente, et tribus antecedentibus, Rogationu, Pentecosten, cum precedenti, et duobus sequentibus, Inventio S.te Crucis, S.torum Maccarij et Bordonis, S.ti Georgij, S.ti Barnabę, S.ti Michelis, sancti Crispolti, cum una precedenti, et subsequenti, festum sanctiss. Corporis Xpi, Nativitatis S.ti Io. Bapte, S.ti Bernardini, S.te Annę, S.te Marię Maddalenę, S.ti Laurentij, S.ti Rocchi, S.ti Egidij, Exaltationis S.te Crucis, S.ti Franc., Omnium Sanctoru cum uno subsequenti, S.ti Martini, S.te Barbarę, S.te Catherinę, S.ti Nicolaj sanctę Lucię, omnes Dies Veneris, ferię messium, et vindemmiar, que indicentur singulis annis a Consilio generali, vel ermite

41v.

De Preparatorijs Iudiciorum Rub. 4

Statuimus, quod quando quis, ad deliberandum, vel altera faciliorem controversię exitum, aliqua actionis actione reali, vel personali mixta sive officio Iudicis, vel quocumque modo, vel remedio, aliqua produxerit interogatoria, sive (ut vulgo aiunt) preparatoria, contra reum principalem, sive heredem citatum, et citatus comparuerit, et terminum petierit ad deliberate respondendum, Iudex sive Gubernator statuat sibi terminum trium dierum, nec ad aliam dilationem, sive longiorem terminum iuris petens admittatur, sed in dicto termino teneatur respondere cunctis preparatorijs, seu interogatorijs, simpliciter confitendo, vel negando, contenta in dictis preparatorijs, et non respondens in dicto termino, habeatur pro confitente, vel negante, prout producenti magis expediet videlicet sed si in prima citatione, citatus non comparuerit, debeat iterum citari in scriptis, inserendo in ipsa citatione, substantiam ipsorum preparatoriorum cum termino duorum dierum, ad deliberate respondendum, in quo termino, si citatus non comparuerit, et non responderit, habeatur pro confitente, vel negante, prout producenti magis expediens fuerit ipso iure, absque alia Iudicum pronuntiatione.

De modo procedendi in causis Civilibus Rub 5.

Statuimus, quod in causis civilibus, vel criminalibus, civiliter intentatis, excedendo summam et valorem XXV. lib. den. non summarijs, nec extraordinarijs, libellus, sive petitio in scriptis reo citato, vel presente in iudicio, ab actore producatur, et ipsi reo petenti terminus statuatur trium dierum ad opponendum, quicquid vult, et potest, per modum exceptionis, replicationis, quadruplicationis officij Iudicis, vel alterius cuiuscumque modi, tam contra personam actoris, et Iudicis, quam contra libellum. Si

vero non sunt

Si uero non sint rei principales, sed tutores, curatores, sindici, actores, procu=
ratores, uel his similes, et negarentur esse tales, quales se faciunt, uel contra
eos copia mandati, tutelę, curę, uel alterius authoritatis peteret, cum ter=
mino ad opponendum contra, assignetur eidem asserenti termini trium
dierum, ad producendum, probandum, et opponendum, et si in dicto ter=
mino non probauerit, uel opposuerit, ita ut eius persona, non possit ex
his legitimari, condemnetur in expensis, etiam interloquendo. Si uero per=
sona fuerit legitimata, detur terminus alteri parti, trium dierum ad oppo=
nendum contra; Et si in dicto termino, aliquid opposuerit, terminus
assignetur actori, trium dierum, ad replicandum, et opponendum contra pro=
ducta quicquid uult, et potest, per uiam replicationis, quadruplicationis,
officii Iudicis et alterius modi. Quibus terminis elapsis aliqua partium
petenti, assignetur terminus ad primam, ad iurandum de calumnia, et litem
contestandam per principales, si commode fieri potest, alias sufficiat per
procuratorem; quo termino elapso, neutra pars, uel una tantum, comparen=
te, uirtute presentis statuti lis habeatur pro legitime contestata, et terminus,
siue dilatio uni, uel ambabus partibus, prout facti qualitas iudici requi=
rere uidebitur, octo dierum utilium assignetur, ad probandum, et probatum
habendum per omne genus probationis, etiam per instrumenta et intra
primos tres dies, utraque pars debeat, produxisse suas positiones, siue ar=
ticulos, et infra tres alios dies a die factę responsionis, articulis, uel
positionibus, debeat pars, si uelit sua produxisse interrogatoria. Sed
ubi aliqua partium, non fuisset presens, intimetur ei uel suo procuratori
dicta dilatio octo dierum, personaliter, uel domi, uel ubi deberet citari.
Testes autem non recipiantur, ad iuramenta, nisi parte presente, uel ci=
tata, et tempore delationis iuramenti, intelligantur reseruatę omnes op=

42r.

ceptiones, contra personas testium, absque alia partis protestatione. Publicentur deinde testes, et ipsorum dicta, cum toto processu, et detur terminus quinque dierum utrique parti ad opponendum contra, omnia producta, contra personas testium, ipsorumque dicta, et totum processum, et opposita probandum, et probata habendum, per omne genus et speciem probationis, etiam, per instrumenta. Dicti autem termini probatorij, nec aliquis ipsorum, possint prorogari, ultra tres dies utiles, etiam si legitimum fuerit allegatum impedimentum, quibus terminis elapsis, terminus statuatur utrique parti, ad allegandum, quo elapso, absque alia causae conclusione feratur sententia.

Quando autem testium examinationem, extra terram, et territorium predictum committi per aliquam partium, petatur, ultra predicta, detur alia dilatio brevis, tamen arbitrio ipsius iudicantis, infra quas dilationes, debeat pars testes fecisse examinari, et eorum depositiones, sigillatas reportasse, et reproduxisse, quibus elapsis alia non detur dilatio.

Si vero reus in preludijs causis, vel in qualibet iudicij parte, confessus fuerit, contenta in libello, vel in quacumque alia petitione, statuatur eidem terminus decem dierum ad solvendum, vel faciendum, restituendum, tradendum, vel relaxandum, aut patiendum contenta in dicto libello, seu petitione, cum expensis, per iudicem taxandis, et ipsi actori restituendis, et hoc si reus antequam conveniretur fuisset in mora constitutus, vel per dici lapsum, vel per interpellationem factam, alias ad expensarum refectionem non teneatur.

Quando autem reus confessus fuerit partem contentorum in libello, seu petitione, partem vero negaverit, tunc de his quae confessus fuerit terminus statuatur, ut supra, et super negatis excedentibus summam XXV. lib. den. procedatur ut supra. Si vero dictam summam non excederit

procedatur

procedatur prout infra in proxima sequenti rubrica de summariis, et ex=
traordinariis causis.

Si autem reus confessus fuerit, contenta in libello, vel petitione, et allega=
uerit aliquam exceptionem, statuatur eidem dilatio quinque dierum infra quam debeat probasse, et probatum habuisse, per omne genus, et speciem probationis, etiam per instrumenta; si autem non probauerit praecipiatur eidem, ut det soluat, faciat, reficiat, tradat, vel patiatur prout supra statutum est de confessis simpliciter.

Contra quamcumque autem scripturam, in quacumque Iudicij parte productam parti contra quam producitur assignetur terminus trium dierum ad opponendum, replicandum, siue triplicandum prout opus fuerit.

De summariis, et extraordinariis causis Rub. 6.

Ad Iudiciorum prolixitates tollendas, et litigantium dispendia statuimus quod in causis non excedentibus summam XXV. lib. den. siue alimentorum, carceratorum detentorum, paternitatum, legatorum ad pias causas, ac quarumcumque mercedum vel salariorum, instrumentorum pertinentium ad vindemias, messes, vel devastationes, alicuius rei, dotium pensionum, laboritijs, forensium, damni infecti, miserabilium personarum, noui operis nunciatione, decimarum, et alijs causis, et differentijs, celeritatem desiderantibus cognoscatur, procedatur, et diffiniatur simpliciter, et de plano sine strepitu, et figura iudicij, sola facti veritate inspecta, iuris ordine, substantialitatibus et solemnitatibus praetermissis, quibuscumque ferijs, non obstantibus exceptis in honorem Dei indultis. In alijs vero causis, vel differentijs unius florenum, vel infra, procedatur quandocumque, et ut iudici videbitur. Nemini tamen liceat summam, vel speciem diuidere, ut causa efficiatur summaria, poena X. lib. den. et X. solidorum minus

in vestibus iur. sup. pinebur, et in dictis causis, et differentiis arbitrio iudicantis. Breviores tamen dilationes statuantur, et ab huius modi causarum sententiis, sive executionibus et humana decisione, non possit appellari, nec aliquo modo veniri, reclamari, vel supplicari.

De Positionibus. Rub. 7.

Et quoniam, ad celeriorem situm, et causarum repetitione, sive ad fugiendum impensas solent adversariae partes facere positiones. Ideo decernimus quod ubicumq. productae fuerint tales positiones, pars, contra quam producuntur teneantur earum singulis respondere praestito prius iuramento, de veritate respondendo, et cogatur respondere ante discessum a banco, nec petens earum copia detur, nec concedatur dilatio ad deliberandum, nec eas videndum facultas tribuatur, poena contrafacienti xx lib. den. Si vero talis respondere iussus iterum monitus, vel citatus non responderit, vel respondere recusaverit, et positiones productae sint, ad ipsam causam pertinentes, ex tunc ipso iure, et sine aliqua iudicis declaratoria habeatur super omnibus pro confesso, et singulis, et convicto.

Si autem ipsa principalis persona debens respondere talibus positionibus non fuerit praesens in iudicio, tunc iterum citetur in scriptis, ut compareat ad respondendum, quae citatio sufficiat semel personaliter, vel bis domi seu alibi, ubi citari deberet, et si in termino citationis non comparuerit ad respondendum, et positiones exigent ad causam pertinere habeatur ut supra, pro confesso, et convicto, super omnibus, et singulis positionibus, et in eis contentis, nisi principalis non parte, sed per procuratorem causam agitaret, et probaret fuisse absentem tempore citationum faciendarum.

Breviatur

Procurator autem non admittat ad respondendum positionibus, nisi ad hoc habuerit speciale, et sufficiens mandatum, et pars fuerit absens, quo casu procedatur contra ipsum procuratorem prout supra diximus contra principalem.
Et predicta locum non habeant in minoribus XXV. anni, furiosis, mutis, mente captis, prodigis, collegijs, universitatibus, vel non valentibus, per se respondere, nisi, vel binus iussus vel bina citatio fieret de tutoribus, curatoribus sindicis, vel procuratoribus predictorum.

De Copijs Rub. 8.ª

Statuimus, et declaramus, quod Copie mandatorum, tutelarum, curationum sindicatuum, actoriarum, inventariorum per tales aliorum administratorum confectorum, ac libellorum, sive petitionum, quarumcumque, et supplicationum, pro eo petitionis productarum per D. Gubernatorem, seu Iudicem producentis expensis reo petenti decernantur, et dentur. Nisi talia instrumenta fuerint apud alia, confecto reo sinde, quo casu proprijs ipsius petentis sumptibus decernantur, et dentur. Aliorum vero actorum, scripturarum, et instrumentorum, quorumcumque in iudicio actorum vel productorum copie ipsorum petentium, et volentium sumptibus accipiantur.

De modo procedendi contra Contumaces Rub. 9.

Statuimus, quod agere volens, actione reali, vel personali, civili, pretoria, seu mixta, vel aliquo iudicio possessorio, vel quacumque alia actione, et reum, personaliter citari fecerit, et in termino dicte citationis ipse reus non comparuerit, vel aliter pro eo porrecto libello seu facta petitione, per ipsum actorem habeat iterum personaliter, vel bis domi cum intervallo saltem diei citari, et domo eius contumaciam actor incuset, et si habuerit producat instrumentum vel apocam si autem non habuerit

44r.

petat quod vult, et intendit, et iudex in rei contumacia concedat quod actor petierit, deveniendo ad executionem secundum formam statutorum, et si reus inde comparuerit, non audiatur, nisi refectis omnibus expensis, sed si actor produxerit instrumentum, vel apocam procedatur iuxta formam statuti sub rub. de executionibus instrumentorum.

De recuperatione tenutę, et in contumacia datę Rub. X

Statuimus, quod si contigerit tenutam aliquam alicui dari pro aliqua quantitate rei, sive facta in bonis alicuius in contumaciam, liceat ipsi reo contumaci, quando contra eum non fuerit aliquid probatum, vel productum, refectis expensis infra triginta dies currentes a die captę tenutę numerandos, eam recuperare, si una cum expensis, cautionem prestiterit idoneam, de stando iuri, et iudicatum solvendi si vero actor suam intentionem probaverit, vel tenuta subastata fuerit secundum formam statutorum, reus non audiatur ulterius, e= lapso termino concesso a statuto ad reluendum, nisi in termino ap= pellaverit et expensas steterit, vel deposuerit, alias in termino dicto non audiatur, dummodo tamen dicta tenuta, fuerit per actorem legitime intimata dicto contumaci.

De capitibus solidorum Rub. XI

Statuimus quod in quacumque causa civili, vel criminali, civiliter tractata intentata, et quacumque actione agatur reali, vel personali, vel mixta, sive officio, vel iudicis, preter in casibus repetitionum, suspectionum, dotium, salariorum, quarumcumque mercedum, relictorum ad pias causas, tam in iudicijs ordinarijs, quam summarijs, et extraordinarijs, ac commissarijs

i de commissarijs causis soluantur capita solidorum immittend. in cippo
cõis, tempore litis contestationis, pro quantitate petita, seu ualore rei
in petitione deducta, ad rationem quatrenorum quatuor pro quolibet
floreno, que solutio annotetur per Notarium Actuarium, in libro ad hoc
pena x lib. et soluantur ab altero, et si soluta non fuerint, in contes-
tatione litis, uel ante publicationem processus, teneatur soluere capita
solidorum duplicata, et quod noster Gubernator, in causis in quibus fue-
rint soluta capita solidorum, non possit accipere sportulas.

De Iuramento litis decisiuo. Rub. xij.

Statuimus, quod, si quid in iudicio fuerit petitum, seu deductum in
libello, seu petitione, exceptionibus, replicationibus, et his similibus, et
partitum fuerit factum in scriptis, clarum, et litis decisiuum, et ad capro-
sum, super toto, uel parte, hoc modo uz. quod iuret, uel referat, con-
tenta in petitione, uel alias deducta, sint uera, uel ne, dummodo ea sit
gesta inter ipsas partes, ille cui fit partitum, teneatur iurare, uel referre,
et petenti ad deliberandum, terminus assignetur trium dierum currentium,
in quo termino si iurare noluerit, uel non comparuerit, uirtute presentis
statuti, habeatur pro legitimo confesso. Si uero iuramentum parti re-
tulerit is, qui posuit partitum, incontinenti debeat iurare, et nolens
iurare, ultra ammissionem presentis crediti, condemnetur parti in ex-
pensis, et quod tale iuramentum susceptum reprobari non possit.

De iuramento Calumnie Rub. xiij.

Statuimus quod iuramentum Calumnie, in quocumque actu, et in qualibet litis
parte deferri petatur, debeat deferri, ubi petens pro eius parte iurauerit,
et principalis teneatur tale iuramentum prestare, si ad hoc procurator
speciale mandatum non habuerit.

45r

De Peremptione Instantię. Rub. xiv.

Statuimus, ut quaecumque causa, civilis, vel criminalis civiliter intentata, quae non sit ex de summaria expediatur infra quinque annos currentes a die contestatę, vel habitę pro contestatę, numerando, quod tempus quinque annorum metam instantię causarum huiusmodi esse decernimus, quibus quinque annis elapsis dicta instantia, sit ipso iure perempta absque alia iudicis pronuntiatione, et actor reo convento ad refectionem expensarum in causa factarum compellatur, et si steterit per iudicem, ipse puniatur in libris quinquaginta, et nihilominus teneatur ad omnia damna, et expensas actori, ipsius actoris sacramento taxari absque ulla alia iudicis taxatione. Successor vero habeat quindecim dies utiles, ultra residuum temporis dictę instantię, ad expediendas dictas causas, et si non expedierit, condemnetur, ut supra, et tempus instantię non currat, quo pars stetit ad respondendum positionibus, et in terminis probatorijs. Summariarum vero causarum instantię xxv. dierum utilium metam decernimus, quibus elapsis, instantia sit ipso iure perempta, et actor, vel iudex teneatur in omnibus, ut supra de ordinarijs causis, ut diximus.

De Consanguineis, et excusatoribus absentium Rub. xv.

Statuimus, quod quisque etiam extraneus, possit in iudicio allegare absentiam cuiuslibet domi citati, pro qua eius causa, qua stante allegatione absentię D. Gubernator, sive iudex terminum qui sibi iustus videbitur tali excusatori assignet, ad notificandum ipsi citato principali, quo termino elapso procedatur secundum formam statutorum. Volumus etiam quod consanguinei, et affines, usque in tertium gradum secundum ius canonicum computandum, pro consanguineis, et affinibus, usque in gradum

ut sup. possint.

ut supra possint, si de rato promiserint, causam, sive causas civiles, vel criminales, similiter tamen contra consanguineum, vel affinem absente motas in se suscipere, et in quacumque instantia prosequi, et defender.

De cautione prestanda, per immobilia
non possidentes. Rub. xvi.

Quicumque ager volens forensis, vel non possidens immobilia in nostro districtu, contra aliquem de dicta terra, quacumque actione teneatur, petenti idoneos prestare fideiussores de stando iuri, et iudicatum omne solvendo super reconventione, si reconveniri contigerit, et iudicium non declinar, immo haber ratum, et si caver, vel pignora dar recuset, non audiatur, et si auditus fuerit iudicium non valeat, et Iudex sive Gubernator incidat in penam x. lib. den.

Quod non faciens actu in termino citationis
teneatur ad expensas. Rub. xvij.

Fraudibus occurrentes statuimus, quod, quando quis, aliquem pro certa die citar fecerit, et actum in termino citationis predicte non fecerit, si citatus comparuerit, et accusaverit contumaciam illius nihil facientis, et relationem citationis, de se factae, fieri fecerit, elapsa hora iuris, intelligatur, et sit licentiatus, et contra eum, actor non audiat. ulterius, nisi per eum solutis seu bonifactis sep. pro expensis et interesse.

De executionibus instrumentorum Rub xviij.

Statuimus, quod quando aliquod produceret instrumentum, preceptum, sententia, laudum, vel compromisso, contractus, testamenti, Codicillos, vel quemlibet alia ultima voluntas, aut aliud publicum instrumentum in publicam formam redactum, et alicuius predictorum executio peteret.

47r.

quomodocumq; et qualitercumq; dummodo id cuius executio petitur sit purum, et liquidum, vel eius conditio, seu dies sit impleta, et purificata habeat reus terminum octo dierum utilium ad suscipiendum copiam opponendum contra, et opposita probandum, et probata habendum per omne genus, et speciem probationis, et non possit opponere nisi de infrascriptis exceptionibus, et nullam aliam defensionem, seu Iudicis officium implorare videlicet nullitatis, falsitatis, solutionis, compensationis, quietationis, transactionis, pacti de non petendo, ficti, vel simulati contractus, vel dolo, seu metu, extorti, et prescriptionis; et si opponeretur exceptio falsitatis et non probaretur, ultra impensas parti reficiendas, incurrat opponens penam fl. lib. den. Qui terminus reo absenti, personaliter, vel domi notificetur, sed forensi, vel non habitanti ad locum in quo citari debet per baiulum, vel preconem intimetur. Et si reus in dicto termino, non comparuerit, vel non opposuerit de dictis exceptionibus, vel si opposuerit non probaverit, facta unica citatione de reo, ad audiendum executionis commissionem, dictum preceptum, sententia, laudum in compromisso, contractus, vel alia ultima voluntas, vel aliud publicum instrumentum, in publicam formam redactum, et productum executioni mandetur, prout petitum fuerit realiter, vel personaliter pro quantitate, seu parte contra reum petitum, et in eo contenta, et pro expensis, et una via electa, ad aliam semper reverti possit, donec de summa principali, et expensis sibi integre fuerit satisfactum. Sed si reus in dicto termino aliquas ex predictis opposuerit exceptiones, et probaverit, publicetur processus, et assignetur terminus ad opponendum contra

quo elapso.

quo elapso procedicetur, prout iuris fuerit. Dicti autem termini non possint prorogari, vel denuo dari ultra tres dies, etiã si legitimũ fuerit allegatum impedimentum, et ab his executionibus, vel pronuntiationibus exequendis, vel non exequendis, nolumus posse appellari, seu recurri, nec reclamari aliquo modo.

De executione privatæ scripturæ Rub. XIX

Item Statuimus, quod quando produceret aliqua privata scrittura pura, et liquida, vel conditionalis, seu in diem, cuius conditio, vel dies extitit, si per debitorem fuerit confessata, vel summarie simpliciter, et de plano, sine strepitu, et figura iudicij, per duos testes recognita, quod fuerit scripta per ipsum debitorem, vel alium de eius mandato seu voluntate fieri et exequi possit, prout dictum est supra, de executionibus instrumentorum, teneatq; ipse debitor, ad creditoris, vel sui heredis estantiã respondere medio iuramento, an dicta privata scriptura sua manu, vel per alium de eius mandato, vel voluntate scripta fuerit.

De modo, et ordine subastandi, et vendendi res per Curiam. Rub. XX.

Statuimus insuper, quod ubi contigerit, ex quavis causa, aliquam fieri executionem suscipiendo pignora, vel tenutam rerum immobilium, iudicij vel communis autoritate pignora infra triduũ deferantur depositario nostro, ad hoc electo, et retineantur per octo dies, infra quem terminum si creditor non redemerit, procedatur ipso termino elapso ad subastationem, et bannimenta dictorum pignorum, hoc modo, videlicet quod dicta pignora unumquodq; de per se tribus diebus festivis in via publica per nostrum preconem banniatur et subastetur per

48v.

tres vices ita ut saltem sint duo dies ab una subastatione ad alteram, et si in dictis bannimentis, et subastationibus aliquis emptor comparuerit, in ultima subastatione, et bannimento virtute presentis statuti sine aliqua ulterius declaratione pignus intelligatur, et sit plus offerentis si talis offerens extimo habiter, alias non. Sed si in dictorum bannimentorum, et subastationis termino, aliquis emptor, et licitator repertus non fuerit, tunc previa extimatione pignoris, per extimatores Comunis, vel communiter eligen., intelligatur, et sit adiudicatum ipsi creditori pro summa principali, et expensis debitis, et nihilhominus liceat ipsi debitori infra decem dies suum pignus sic subastatum, et adiudicatum reluer., quo termino decem dierum elapso, ulterius non audiatur, et licitator, et venditor sint virtute presentis statuti tuti, et ipse debitor non reluens ipsis teneri volumus de evictione, ac si per ipsum pignus venditum esset. Et eodem modo procedatur in tenuta rerum immobilium, sed in quocumque bannimento subastatione debitor citetur, et demum ad deliberationem, et diebus juridicis, et subastationes fiant, ad scalas Palatij Domini Gubernatoris. Et si pluris pignora, vel tenute vendantur, ultra debitum et expensas illud plus debitori restituatur, vel penes tertium deputandum per Dominum Gubernatorem depositetur. Si verò pro debito, et expensis, non sufficiat, alia tenuta, vel pignus capiatur, donec debitori creditori plene satisfactum, et iuxta modum predictum vendatur, et adiudicetur. Volumus etiam quod in tenuta rerum immobilium, elapsis terminis ad reluendum iterum debitorem citari et demum

in actum

incursam contumaciam, eius non volentis, et ex decreto Iudicis adiudicari creditori, sive licitatori, et deinceps creditor, vel licitator tutus sit, et debitor, de evictione prout supra teneatur, salvo tamen iure tertij.

De Iure servandis forensibus Rub. xxi.

Statuimus, et ordinamus, quod forensibus idem Ius servetur, et fiat, quod ipsis nostris terrigenis, sive forensibus statum habent, et observant, preter hominibus de Collemancio, et de Turre Andree, quibus idem ius in iudicijs, et penis damnorum datorum ab eis exigendis servari volumus, quod nostris terrigenis statuitur, et servatur

De sequestro Rub. xxij.

Statuimus, quod si aliquis forensis, vel alter non possidens immobilia in nostro territorio, vel alias esset suspectus de fuga teneretur ad aliquid solvendum, dandum, vel faciendum alicui nostro terrigene, vel habitatori, et sic haberet aliqua bona mobilia, vel credita, Iudex sive Gubernator ad creditoris instantiam recepto iuramento a creditore de credito sibi debito, vel cum apparente instrumento producto, vel depositione testium, coram eo examinatorum, teneatur tales res sequestrari facere penes tertiam personam, et retineri, donec creditori integre fuerit satisfactum, vel idonee cautum, et talis sequester sine licentia partis, vel Iudicis non possit rem penes se sequestratam restituere, et restituens vel solvens teneatur parti ad interesse, et expensa, et nostro

comuni pro pena ad libras XXV; et creditor infra quinque dies iura sua docuisse debeat, et inde procedere ad subastationem iuxta formam Statutorum

De debitore suspecto de fuga Rub. XXIII

Statuimus quod ubi quis habuerit debitorem suspectum de fuga, et comparuerit coram Iudice, seu Gubernatore dictae Terrae, etiam extra Iudicium, et qualibet die feriata, etiam in honorem Dei, preter diebus sanctae Paschatis Resurrectionis, Nativitatis D. N. Iesu Xpi, et iuraverit se habere debitorem de fuga suspectum, et non possidere immobilia in Terra, et districtu Bictonii, et ad presens esse deterioris conditionis, quam tempore contracti debiti, et de ipso credito aliquam fidem fecerit, saltem per proprium Iuramentum, sine aliqua debitoris citatione. Dominus Gubernator, incontinenter teneatur talem debitorem capi facere, et detineri, donec creditori satisfecerit, vel idoneos prestiterit fideiussores, de stando Iuri, et Iudicatum solvendo, aut donec dicta causa fuerit inter ipsas partes terminata. Interim autem volumus, ipsum debitorem detentum, per quemcumque audiri in omnibus suis defensionibus, et creditor habeat terminum trium dierum ad docendum legitime de eius credito, et si succubuerit teneatur absque aliqua iudicis declaratione, vel taxatione ad omnia damna, expensas, et interesse, ipsius debitoris iuramento declarandi. Et nihilominus incurrat penam X lib. den. Decernentes, quod si ipse debitor paupertate laboret, et de suis facultatibus victum habere non possit creditor teneatur ei expensas victus exhibere, repetendas una cum summa principali, et aliis expensis, et si per biduum non prestiterit

precedenti

precedenti debitus protestatione, Gubernator liberam habeat facultatem relaxandi ipsum debitorem.

De debitore possidente non carcerando Rub. XXIV

Cum carcer sit mala mansio, et ignominiosa. Statuimus, quod ubi debitor detinendus, pro quovis debito civili, proqua uis causa, co=ntractus possederit in nostro districtu, valoris dupli debiti pro quo detinetur, sive fideiussores obtulerit, dummodo alias non sit suspectus, non debeat quoquomodo in carceribus, vel cameris detineri, sed in sala magna Palatij, sub precepto de non discedendo sine licentia Gubernatoris, Vicarij, vel alterius officialis detinentis, et si discesserit incurrat penam aureus libre ipso facto, et amplius tali beneficio non gaudeat. sed quando debitor offert pignus equivalens, creditor teneatur illud recipere, et se a carceribus liberari.

De testibus cogendis Rub. XXV.

Statuimus, quod testis citatus pro qua uis causa, et ad cuiuscumque instantiam, non comparens captis pignoribus per mulcte impositionem cogatur, et iterum postea citatus si non comparuerit, et legitimum non habuerit impedimentum declarandum arbitrio Iudicis, vel non fuerit absens, procedatur contra eum, et puniatur tamquam veritatem iuratus occultans, et nihilominus ad damna, et interesse parti teneatur, de quibus damnis, et interesse, precedente Iudicantis taxatione, stetur ipsius partis producentis iuramento.

De testium immunitate Rub. XXVI.

Statuimus insuper ad celeriorem causarum expeditionem, et ne quis timore gravetur, quod testes, ad testificandum vocati, super quali=

causa in auctum, mora, et reddita sint sibi; liberi, et securi, ita quod pro quacumque causa, vel debito civili pecuniario, etiam privilegiato, capi detineri, vel molestari nullatenus possint.

De Testium dictis annotandis Rub. xxvij.

Notariorum, et examinantium negligentijs occurrentes Statuimus, quod ubi aliquis in testem, aliqua causa fuerit examinandus, eius dicta, et attestationes annotentur, et describantur extense, prout ipse testis dicit, et non per verba affirmative, vel negative, vel prout in articulo, vel interrogatorio, vel prout alter testis dixit, pena contrafacienti x. lib. den. pro quolibet, et qualibet vice, et nihilominus teneat ad expensas, et interesse parti, pro qua examinaretur.

De Pena negantium filiationem, agnationem officiatem, vel dignitatem Rub. xxviij.

Ad compescendam aliquorum cavillationes. Statuimus, quod si per aliquam negantium in iuditio, super positionibus, vel alijs quibuscumque actis, negaretur aliquem esse, vel fuisse Patrem, matrem avum, aviam, filium, filiam, nepotem, neptem, sororem, fratrem, virum, et uxorem, iudicem, vel Gubernatorem, Notarium provincie, baiuli, preconem, Priorem Episcopum, Rectorem, Abbatem, Presbiterum, rectorem provincie, et alium habentem, aliquam dignitatem, vel mortem alicuius, si contrarium probetur negans, condemnetur ultra impensas, per partem factas in pena x. lib. den. vice qualibet, nisi per totam diem, qua negavit, negationem correxerit, quod posse facere volumus. Ad probationem autem predictorum, volumus sufficere quatuor testes, deponentes audivisse publice dici in terra predictos fuisse, vel esse tales, vel quod viderunt

eos se gerere

cur se gerer, vel gessisse, tentos, et reputatos, Debitores, vel nominatos esse vel fuisse in dicta terra, vel provincia. Admittantur tamen in quolibet casu predictorum probationes in contrarium.

De indemnitate fideiussorum Rub. XXIX.

Statuimus, quod ubicumque fideiussor aliquid passus fuerit occasione fideiussionis prestite, vel diu steterit in fideiussionis obligatione, quod intendimus per triennium, vel deteriorata esset conditio principalis, et ab huiusmodi obligatione se liberari vellet. Gubernator, sive Iudex noster, ad eius instantiam, etiam extraiudicialem teneatur summarie nullo iuris ordine servato, ipsum principalem capi, vel detineri facere, donec dictus fideiussor indemnis penitus fuerit, conservatus extiterit; Et simili modo procedatur, quando quis aliquod damnum substinuerit occasione represaliarum concessarum contra comune, vel particulares personas, quas represalias volumus tolli omnibus expensis illius, cuius culpa, vel delicto concesse fuerunt, et indemnitati damnum passi integre provideri.

De Mora sine interpellatione non admitendo Rub. XXX.

Statuimus, quod quicumque obligatus, aliquid solvere, dare, gerere, vel facere, per pactum, instrumentum, transactionem, vel aliam quamcumque conventionem, sine die certa apposita, non requisitus, vel interpellatus, semel saltem in iudicio ad id dandum, solvendum, gerendum, vel faciendum, ad aliquam penam, fructuum restitutionem, vel aliquod interesse non teneatur, nisi a die facte requisitionis, vel interpellationis predicte, etiam si dotem promiserit sine die certa, quia appositam pro creditore interpellare volumus.

51v.

Quod sententia prout in cedula. Rub. XXXI.

Quod sententia lata per Gurbernatorem, seu Iudicem prout in cedula appellatur post latam sententiam per terminum decem dierum.

Quod ab interlocutorijs sententijs non appelletur. Rub. XXXII.

Statuimus, quod ab aliquo decreto, pronuntia, sive sententia interlocutoria nemo possit appellare, etiam si appellatio, de iure civili, vel Canonico permitteretur, nisi talis interlocutoria, haberet vim diffinitive, vel pareret irreparabile preiudicium, quo casu admitti volumus, in alijs vero casibus Iudex sive Gubernator noster appellationem non admittat.

Quod a duabus sententijs conformibus Appellatio non detur Rub. XXXIII.

Finem litibus imponere Cupientes. Statuimus, quod si contigerit in quavis causa appellationis per iudicem, ad quem confirmari sententiam Iudicis a quo extitit appellatum, vel quandocumque in una eadem causa due conformes extiterint late sententie ulterius non detur appellatio, recursus, nec reclamatio, sed iudex sive Gubernator, teneatur quacumque appellatione, recursu, vel reclamatione interposita, non obstante dictas sententias, et prout in eis executioni mandari.

De Compromissis Rub. XXXIV.

Statuimus, quod inter agnatos, cognatos, et affines, usque in tertium gradum secundum Ius canonicum computan(dum), et vicinos, usque ad tres domos circum circa domum vicini, et inter socios, a quacumque lite, controversia, vel differentia, inter alias vero personas, occasione finium, semitarum, terminationis, mercantie, calculi rationum, divisionis alicuius rei mure fabricandi, vel reficiendi, alicuius vie seu introitus seu

re stillicidij

ne stillicidij vel alterius servitutis, et maxime, de signo committendo, vel occasione alicuius rei spectantis ad artis peritiam. Gubernator, sive Iudex ad partis cuiusque instantiam petentis in specie litem, seu differentiam huiusmodi, etiam ore tenus, antequam lis sit contestata, vel habita pro contestata compromitti, recepto a petente iuramento Calumniae, si ex adverso petatur, partes compellat ad compromittendum de iure, et de facto, in duos viros artifices, seu in arte peritos, vel mercatores, prout ipsi Gubernatori, vel Iudici convenientius esse videbitur, in ipsarum partium arbitros, et arbitratores et amicos communes communiter eligendos, et casu quo in huiusmodi electione ipsae partes concordes non essent, nominent suspectos ipsi Iudici, vel Gubernatori, et non nominatos alios inde electos, Gubernator, sive Iudex admittat omni, et qualibet exceptione partium remota, et si dicti arbitri non essent concordes tertium partes eligant, et si non sunt concordes Gubernator sive Iudex tertium eligat.

De Arbitris, et Arbitratoribus Rub. XXXV.

Statuimus, et ordinamus, quod viri electi in arbitros, seu arbitratores vel amicabiles compositores acceptare compellantur, et ad procedendum, sententiandum, terminandum, et laudandum, sufficiat unus ex dictis arbitris cum tertio, etiam altero absente, et irrequisito, et si tertius non fuerit electus ipsi arbitri simul qui omnes, vel maior pars eorum, possint, et valeant causam, seu causas, differentias, vel controversias cognoscere, procedere, diffinire, sententiare, terminare, declarare et laudare, summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu et figura iudicij sola facti veritate inspecta, reiectis omnibus iuris, et solemnitatibus, et substantialitatibus, omnibus diebus etiam feriatis in honorem

52v.

bei sedendo, stando, ambulando, et in omni loco, in scriptis et sine scriptis partibus presentibus, uel absentibus, tamen citatis, diffinitioni, terminationi, laudo, compositioni, seu sententie quelibet partium stare teneatur, et contra eam, aliquo modo appellare non possit, pena contrafacienti l. lib. den. parti obseruanti pro dimidia applicanda, pro altera dimidia nostro comuni. Predicta autem, de causis compromittendis locum habere uolumus in causis finitis, uel ubi appareret publicum instrumentum, uel in exceptionibus, que opponerentur contra laudum, preceptum, sententiam, ultimam uoluntatem, uel aliud publicum instrumentum, que discuciantur, et probentur, coram Gubernatore, seu Iudice, coram quo petita est executio. Volumus, etiam, per dictos arbitros, et arbitratores, ac tactum iuramentum prestari, lites, causas, et differentias cognoscere, et diffinire, ac terminare bona fide, et sine dolo et fraude, ad quas terminandas terminum habere uolumus, duorum mensium a die prestiti iuramenti numerandorum.

De Tutoribus, et Curatoribus Rub. xxxvi.

Statuentes decernimus, quod in creandis tutoribus, Pupillis, uel Curatoribus adultis, prodigis, mutis, surdis, furiosis, et mente captis, ac alijs qui ob etatis, uel nature defectum, sub aliorum tutela, siue cura, constitui debent, ut eorum negotia, et res salubriter gubernentur, deficientibus tutoribus, uel curatoribus testamentarijs, et non existentibus Matre, auia, uel proauia, uiduis, uel existentibus, sed tutrices, uel Curatrices esse nolentes, talis ordo seruari debeat, quod citatis omnibus agnatis, et cognatis masculis, secundum prorogationem gradus, usque in tertium gradum indigentis tutore, uel curatore, quibus deficientibus citentur

decem vicini, avus, pro qualibet domo viciniori, et per eos singulariter, et secrete, cum iuramento aliquo, vel aliquibus predictorum declaratis idoneoribus coram actuario notario cause intervenienti, talis agnatus, cognatus, vel vicinus, illis deficientibus, tutor, vel curator indigentis decernatur, et si plures equaliter pro idoneoribus fuerint nominati insimul tutores, vel curatores decernantur et ad acceptandum compellantur, nisi infra quinque dies iustam, et legitimam excusationem probaverint, quo casu simili modo et forma, ut supra de alio provideatur, teneanturque dicti Tutores et Curatores idonee satisdare, inventarium conficere, infra decem dies sibi decretate tutele, vel cure, et alia facere, et administrare, atque prout tenetur, pena centum lib. den., et nihilominus ad omnia, et singula damna et interesse, cuius fuerit tutor, vel curator, teneatur probanda, solo iuramento alterius, legitimi tutores, vel Curatores, matre vero existente vidua, et minori XXV annorum, alteri tutela, vel cura decernatur secundum gradus prerogativam, donec mater ad legitimam etatem pervenerit. Matri, avie, et proavie viduis existentibus, volentibus tutela, vel cura decernatur secundum gradus prerogativam, non tamen cogantur. Adultis, non furiosis, vel aliorum predictorum defectum patientis curator non decernitur, nisi secundum dispositionem huius Comunis, tribus, vel pluribus agnatis vel cognatis, aut vicinis, cum iuramento affirmantibus aliquem esse prodigum. Iudex sive Gubernator, statim provideat ei de curatore, et nihilominus banniri faciat, quod nemo cum tali contrahat pena XXV lib. den., et de ipso bannimento, fiat mentio in actis civilibus, et dictus prodigus semper reputetur, donec in moribus resipuerit.

De Administratione absentis bonorum, et eius pendente mortis
Rub. XXXVII.

Dissensionibus, et controversiis, que super absentium vel pretextu mortis

53v

bonis administrandis oriri solent Consulere, Statuimus, quod bona ab-sentis ultra biennium, uel illius qui diceretur mortuus detineantur, et ad-ministrentur per eos quibus talis hereditas, si uere mortuus esset, ab intestato deberetur, prestita tamen prius satisdatione de bene, et fideli-ter administrando, et plenam rationem reddendo cum integra rerum satisfactione, reuertenti, uel alteri, cuius interesset in futurum, et per tales solemne conficiatur inuentarium infra decem dies, a die sibi decreti talis administrationis per Iudicem, siue Gubernatorem. Predicta autem locum habere nolumus in habentibus patrem, uel curatorem siue procuratorem ad negotia, uel alium legitimum administratorem, qui ut supra consti-tutus, inuentario confecto, et cautione prestita possit, et ualeat, in iudi-cio, et extra, quascumque actiones talis absentis exercere, credita exigere, et de receptis quietationem facere, et similiter conueniri, et contra eum exigi, uti contra suum principalem, quascumque actiones intentari, et generaliter omnia, et singula agere, facere, et absoluere possit, que qui-libet legitimus Tutor, uel Curator, agere, facere, et absoluere, ac exercere potest de iure in omnibus, et per omnia, et simili modo pro actio-nibus realibus, ab aliis conueniri, ut ipse absens si presens esset.

De Instrumentis Conficiendis, de contractis, et
deperditis Rub. xxxviij

Ne ueritas inopia probationum, tractu temporis depereat. Statuimus, quod quicumque contrahens, uel quasi contrahens, paciscens, stipulans, transi-gens soluens, liberans, uel aliter satisfaciens, uendens, locans, mutuans, et his similes, teneantur ad partis instantiam de predictis singulis, seu aliis inter ipsas partes gestis publicum conficere instrumentum

et in his

et in his Iudex, sive Gubernator noster procedat summarie simpliciter, et de facto sine strepitu, et figura Iudicij, sola facti veritate inspecta, hoc ordine, quod ad cuiusque instantiam Gubernator interroget partem a qua petitur fieri instrumentum cum iuramento an expediverit narrata, sint vera, et si fatetur fiat sibi preceptum, de non discedendo de palatio, priusquam instrumentum petitum confecerit, si vero neget, terminum trium dierum assi= gnet alteri parti ad probandum et publicato processu terminus utrique parti aliorum trium dierum conventum ad opponendum, et reprobandum, et opositum, et reprobatum quicquid voluerit, quo elapso pro= nunciet, prout iuris fuerit, si autem partem confessus fuerit, partem vero negaverit, procedatur, ut supra ad conficiendum instrumentum, quoad partem confessam quoad negatam, termini assignentur ut supra, et eodem modo, quando instrumenti aprea vel protocollum deperditum diceretur, principales, sive heredes compellantur ad novam conficiendum instrumenti, de cuius perditio= ne volumus stari iuramento notarij, vel eius heredis.

De Prescriptionibus rerum Stabilium Rub. XXXIX

Negligentibus viam precludentes. Statuimus, quod si quis molestatus vel inquietatus fuerit, super aliqua re immobili, vel pro immobili ha= bita, et ostenderit ipsam rem pacifice, et quiete possedisse cum titulo, et bona fide, per spatium decem annorum inter presentes et viginti inter absentes censeatur et sit illius rei verus dominus, et possessor, et ipse molestans, vel inquietans ipsi molestato possessori in omni= bus expensis factis, nisi ipse actor fuerit minor, vel aliter ad agendum legitime impeditus

De Prescriptione debiti, et mercedum Rub. XXXX

541 Item statuimus, quod quodcumque debitum contractum, per instrumentum, vel apocam, mutui, depositi, vel alterius contractus et infra decem annos petitum, vel renovatum non fuerit instrumentum vel apoca censeatur solutum, et virtute presentis statuti intelligatur, et sit prescriptum, et illud petens in Iudicio, vel extra non audiatur, nisi infra decem dictos annos, in iudicio petijsse, vel interpellasse probaverit. Mercedes vero famulorum, operarum, et pensionum habitationum, et alia debita ubilibet ordinarie, vel alias scripturam non appareret, si per annum ab infra petite non fuerint prescripte intelligantur, et petens in Iudicio, nec extra audiatur, nisi fuerit in casu dotis petende, vel repetende.

De modo, et forma servanda in contractibus minorum furiosi mentecapti prodigi, et mulierum Rub. XLI.

Indemnitati mulierum, et aliarum personarum, que vel ob defectum temporis vel nature, dolo, et fraude, ac sepe terroribus, verberibus, et minis, in earum grave damnum et preiudicium, ad contrahendum inducuntur. Providentes statuimus, et ordinamus, quod donationes venditiones, cessiones et alie cuiuscumque generis, et speciei, alienationes promissiones conventiones, et obligationes quarumcumque rerum actionum, vel iurium, ab aliqua muliere nupta, vel innupta, minore XXV annorum, mentecapto, prodigo, et furioso, non interveniente tutoris vel curatoris auctoritate si eos habuerint, et absque presentia consensu, et voluntate duorum, vel trium propinquiorum agnatorum vel cognatorum eorundem, vel mixtim, si habent in dicta Terra Pictonis, et eius districtu, vel ipsis non existentibus

habentem affini

saltem affinium et his non existentibus sine presentia, et consensu duorum
vel trium vicinorum proximiorum curantium ipsius esse proximiores agnati
cognati, affines, vel vicinos illius alienantis, vel aliter se obligantis,
vel contrahentis, nec illud fieri pro ipsius utilitate, vel in eius utilitatem
cedere et sine presentia auctoritate, et decreto Gubernatoris sive Iudicis
in alienationibus immobilium: In aliis vero, nisi aliquis predictorum
contrahens ut supra esset minor xx. annorum Iudicis decretum interve=
nire non curamus, cum quibuscumque universitatibus collegiis Communitatibus
et personis quibuscumque particularibus fieri non possint, nec aliquate=
nus celebrari, et aliter facte, vel celebrate, non valeant ipso iure et pre=
sumantur, una cum iuramento intervenientes, dolo, fraude, ac simulate,
et extorte, que presumptio sit iuris, et de iure, ita ut in contrarium
non recipiat probationem, et nihilominus Contrahentes contra
formam presentis Statuti, incurrant penam ipso facto xxv lib
den. et quod Instrumenta per supradictas personas celebrata extra
territorium nostrum, non servata forma presentis Statuti sint
ipso iure nulla, et habeant pro non factis.

De Testamento, vel alia ultima voluntate condenda Per mulieres. Rub. xlii.

Statuimus quod Mulieres, testamentum, Codicillos, donationes causa mor-
tis, vel aliam quamcumque ultimam voluntatem condere vel facere
non possint sine presentia mariti si habuerint, et consensu duorum pro-
ximiorum consanguineorum, et si filios habuerint sine presentia, et consen-
sum eorum si maiores extiterint, alias cum presentia et consensu duorum proximiorum,

550.

consanguineos, et si secus factum fuerit non valeat ipso iure. Volumus tamen, quod si praedicti, praesentem, et consensum negarent possit talis mulier aetatis et relatis ant(iqui)s testamentum et aliam ultimam voluntatem ad suum libitum facere, et similiter bene habere volumus in testamentis, et aliis ultimis voluntatibus extra territorium condendis.

Quod alienare volens stabilia proximiores
Consanguineos requirat rub. xliij.

Statuimus, et ordinamus quod quicunque voluerit ex quacunque causa et quomodocunque aliqua bona stabilia alienare debeat suos proximiores consanguineos usque in tertium gradum proximioribus aliis remanentibus requirere per proclamata, in tribus vicibus, in locis solitis, an velint pro se habere dicta bona stabilia et casu quo de pretio inter se non essent concordes debeant stare arbitrio duorum hominum communiter eligendorum et interpellatus ad suscipiendum dictam bonorum alienationem habeat terminum trium dierum ad se resolvendum, et quindecim ad inveniendas pecunias solvendas, et ipsi alienanti, si ad praesens non haberet, et aliter facta alienatio, non valeat ipso iure, dum proximiores consanguinei (salva gradus praerogativa), habeant terminum quindecim dierum a die scientiae alienationis factae incipiendum ad vendicandum dicta bona alienata, pro eodemmet pretio, quo fuerit alienata. Et nihilominus ipsi contrahentes incurrant poenam xxv. lib. den. pro quolibet uno Communi applicandam, et ipsis consanguineis emere volentibus talis venditor teneatur vendere rem vendendam proximiori vicino pro pretio ut supra extimandum.

~~tione, ut in sua arbitrio venditoris.~~

De Prohibita stabilium alienatione in forensem, vel non subditum Rub. xliv.

Statuimus, et ordinamus, quod venditiones, cessiones, vendicationes, permutationes, quietationes, et alienationes cuiuscumque generis rerum, immobilium, et earum quae pro immobilibus habentur opidum, in Baccolen terra, vel eius districtu in forensem, et nostris statutis realiter et personaliter non subiectum, vel aliis a collectis, et datiis a quocumque immunes fieri non possint, et contrafacientes contra formam praesentis statuti incurrat poenam centum lib. den. pro quolibet et ammissionis rei, et pretii in ipso contractu deducti ipso facto nostro comuni applicandi sine aliqua remissione, et casu quo ab aliquo Bictonicolle in non subditum vel forensem facta fuerit donatio institutio, vel legatum, talis forensis, et non subditus teneat et obligatus sit ipso iure, bona sibi donata vel quomodolibet relicta infra mensem vendere Bictonicolis iusto, et rationabili precio, poena contrafacienti ammissionis rei sibi donatae vel quomodolibet relictae nostro comuni applicandi ipso iure, et forenses intelligimus eos, qui non faciunt factiones comunes, et qui non sunt de hac nostra terra oriundi, etiam si per longissimum tempus habitaverint, nisi per Consilium generale, terrigenas effici obtinuerint

De Arris Rub. xlv

Inveteratam consuetudinem approbantes ordinamus, quod ubi super qualibet re vendenda fuerint datae arrae, si adhuc non tradita emptori, utramque partem possit penitere, ita ut si emptorem penituerit, ammittat omne id quod

56.v

nomine arrarum concesserat, si autem venditorem restituat emptori arras duplicatas.

Quod stantibus masculis femina dotata non succedat Rub. xlvi.

Ampliationi et conservationi agnationum consulentes statuimus, quod mulier dotata, sive dotanda a Patre, Matre, Avo, Avia proavo, vel proavia, a fratre, vel fratribus, seu ab alijs eorum nomine, ita tamen, quod unica alicuius predictorum dotatio sufficiat pro exclusione, aliorum predictorum stantibus eorum descendentibus masculis per lineam directam, non possit ipsa, nec eius filij, et descendentes ad alicuius predictorum successionem et hereditatem ab intestato venire, nec aliquid petere, vel habere, nec super bonis eorum, Et predictis descendentibus omnibus ab intestato, vel eorum filijs, et filiabus, et nepotibus dictis feminibus dotatis exclusis ad illorum hereditatem, et patrui admittantur. Et dotata intelligatur etiam ea cui licet adhuc impuberi, vel infanti fuerit per parentes, vel alios in testamento codicillis, vel alia ultima voluntate dos relicta, vel cui inter vivos fuerit dos constituta, seu sibi vel alteri pro ea data promissa seu aliter confessata.

Quod mulier non dotata ab ascendentibus per descendentes masculos congrue dotetur Rub. xlvij.

Statuimus, quod si mulier, tempore mortis parentis cui onus eam dotandi incumbebat, et dictae successionis non reperiretur dotata, tunc stantibus descendentibus masculis non succedat, ut supra, sed ab ipsis debeat congrue dotari, attenta qualitate personae, et modo facultatum defuncti, et ipsius dotantis, et si in constituenda dote mulier, et descendentes non concordarent, tunc attentis premissis

eidem elos constituatur per duos proximiores consanguineos, unum pro parte mulieris, alterum pro parte ipsorum descendentium de putandos, quibus descordantibus tertius per eosdem descendentes, et mulierem eligatur, ad quam deputationem dictis casibus Gubernator, sive Iudex de facto partes compellat, et prout per dictos consanguineos, cum tertio, uel sine elos constituta fuerit descendentes satisfacere compellantur, et ipsa mulier a residuo bonorum predictorum intelligatur, et sit exclusa, nec possit dicere de incongruitate dotis.

Quod Mulier, et eius descendentes, masculis deficientibus, redeant ad successionem ascendent. Rub. xlviij.

Statuimus etiam, quod Mulier ut supra dotata, et exclusa a successione ascendentium, propter ascendentium masculorum, ipsis masculis deficientibus, et eius filij, et nepotes, quandocumque concepti, uel nati possint redire ad successionem parentum, et aliarum personarum ~~successionem~~ ad quarum personarum successionem de iure communi vocantur si descendentes per lineam masculinam masculi non superstint conferendo dotes habitas, uel pro ini eas

Quod Mater filijs non succedat Rub. xlix

Statuimus insuper, quod si qua mulier vidua filios habuerit illis decedentibus ab intestato non succedat nisi in Legitima, dummodo uitam uidualem et honestam seruauerit, et in residuo succedant filij quarundam filiorum et descendentes, uel fratres Germani et his deficientibus patrui, uel eorum filij.

57 r.

Quod patres teneantur alimentare sorores Rub. l.

Item Statuimus, quod frater, siue fratres teneantur, suas sorores in domo auita paterna secum retinere, et eis uel decentia prestare alimenta, donec nupserint, uel monasterium ingresse fuerint, et etiam postea, quandocumque uidue remanserint, earum uiduitate durante, et caste uiuentibus, que conferri debeant fructus earum dotium, et suas operas, si quas prestare potuerint, attenta qualitate, et conditione persone.

Quod Mulier decedente in matrimonio sine liberis
vir lucretur tertiam partem dotis Rub. li.

Statuimus, quod Mulier nupta, et per carnalem copulam matrimonio consumato, uel per virum ad domum ducta predecedente in matrimonio sine liberis ex eodem matrimonio procreatis. Maritus superuiuens lucretur tertiam partem dotis sibi uel alteri cuius nomine promisse, date, solute, confessate, constitute, uel relicte, pactis, transactionibus, uel promissionibus in contrarium factis non obstantibus, et talis contractus, ubi fieret transactio, uel promissio contra presens Statutum, non ualeat ipso iure, et censeatur fictitius, et simulatus, etiam si iuramentum interuenerit, quod fictum, et simulatum, ac metu, et dolo, extortum presumi uolumus. Que decernimus locum habere in presentibus preteritis, et futuris.

Quod mulier transiens ad secunda uota restituat
heredibus defuncti uiri vestes Rub. lij.

Statuimus, quod Mulier uidua, alteri desponsata, uel nupta, uestes, et alia indumenta de bonis uiri defuncti habita, qualia sint resti=tuere teneatur heredibus ipsius uiri, et alia quecumque ornamenta

tempore

tempori nuptiarum, vel ante donata uxori a viro, vel eius decedentis ad dicti viri heredes pertineant, donata vero a consanguineis ipsius mulieris eis debeantur.

Quod hereditas defuncti censeatur confirmata in heredem Rub. liij

Statuimus, et ordinamus, quod possessio rerum, et bonorum omnium defuncti, censeatur ipso iure confirmata in eius herede, sive successore ex testamento, vel ab intestato universali, vel particulari, in uno, vel pluribus, sine aliqua iuris, vel facti additione, vel apprehensione.

De lite ab actore suscipienda Rub. liv

Ad tollendos iudiciarios circuitus, et litigantium dispendia. Statuimus, et ordinamus, quod si quis in re empta, vel aliquo alio titulo oneroso habita fuerit ab alio, quam ab eo, a quo emit, vel titulum aliquem habuit, molestatus venit ab ipso alienante, seu eius heredibus, vel successoribus defendi debeat ante, vel in ipsa litis contestatione, vel eo tempore quo pro contestata lis habetur dicto alienanti, vel successoribus predictis notificari facere litem, qui inde omnibus propriis expensis teneatur defendere ipsum molestatum, et litem in se suscipere, et prosequi, et casu quo litem non susciperet, vel non prosequantur, vel res ipsa molestata ab agentibus vendicetur, teneantur ad omnia damna expensas, et interesse ipsius molestati, etiam si post notificationem citatus, vel molestatus in iudicio amplius non comparuerit nec rem ipsam molestatam defenderit, et habeatur procedatur ad ipsius instantiam eorum dd. obligatos de evictione sed summarie, et sine figura iudicij sola facti veritate inspecta.

58v.

De inquilino soluente, nō expellendo. Rub. lv.

Statuimus, quod ubi inquilinus conuentiones factas obseruat, et rē conducta bene utitur, non possit de ea expelli, nec ad soluendum maius pretium grauari, nec alteri locari, nisi dominus ipsius rei conductę, per duos menses ante denuntiauerit ipsū inquilinū, uel rem ipsā reficere uoluerit, uel pro se ipso rē locata necesse haberet poena contra facienti x. lib. den.

De muro interdomitiines faciendo, uel reficiendo Rub. lvi.

Statuimus quod ubi inter domos, uel domū utriusque bruni nō esset murus intericetus, uel esset reficiendus, seu aptandus pars ad petitionem, seu qualem, qualem instantiā alterius partis ad faciendum reficiendum uel aptandum super solo comuni cōmunibus expensis teneatur et de facto compellatur, et desuper super eorū disceptationibus stet arbitrio duorū in arte peritorū communiter eligendorū, pena cuilibet cōtrafacienti xxv. lib. den.

De Muro Cōi non scindendo. Rub. lvij.

Item Statuimus, et ordinamus, quod nulli liceat briuno inuito murū inter unā, et alterā domum existentem si murus sit comunis inter ipsos scindere ultra medium, nec etiam mediū si aliquis terror uel dānum aliud uicinus pateretur, uel passurus esset.

De Stillicidijs, et fundamentis reficiendis Rub. lviij.

Statuimus etiam, quod si in eadem domo duo habitauerint unus in superiori parte alter uero in inferiori parte. superius inhabitans teneatur reficere quandocumque opus fuerit, et manu tenere. Stillicidia, et solarium, ita ut inferior inhabitans nullū sentiat dānū

Sine nocumento

sive nocumentum, inferius vero habitans teneat ut supra reficere aptare, et manutenere fundamenta

Quod volenti appodiare muros vendatur Rub. lix.

Statuimus insuper, quod si quis edificando, altius tollere appodiare vel tignum sive aliud immittere voluerit immittere in muro vicini cotiguo horti, vel domus. vicinus teneatur illi vendere pro rationabili pretio declarando per duos homines, in arte peritos communiter eligendos, nisi aliud, per pactum, vel conventionem, inter ipsas partes initum fuisset, vel inter ipsorum auctores. dictique periti teneantur declarare, et si fuerint discordes alterum in tertium assumere.

Quod de qualibet scriptura in iudicio producta, copia retineatur Rub. lx.

Cum ex productione in iudicio facta scriptura efficiatur communis cum parte, et ea copia penes acta non relicta fuisse interdum non medicum parti generatum preiudicium vidimus. Statuimus propterea, quod Notarius actuarius, sive vicarius quamcumque scripturam coram eis in iudicio productam publicam vel privatam in protocollis, vel simpliciter, non debeant alteri parti restituere, nisi penes acta de verbo ad verbum copiata fuerint pena xxv. lib. cuilibet contrafacienti, etiam si ipsa scriptura instrumenti, vel protocollum productum fuerint animo reportandi; et pro ipsa copia penes acta facta Notarius habere debeat solidos quatuor pro qualibet facie.

59v

De Remensuratione terrarum in Catastris descriptarum. Rub. lxi.

Statuimus, quod si quis assereret se gravatum, super extimo alicuius sue possessionis, quam diceret esse minoris mensure, quam apposita esset, et descripta reperiretur in eius catastro, et peteret illam remensurari, debeat audiri, et desuper remensuratio petita fieri expensis petentis, et prout in veritate, ex relatione agrimensoris cum iuramento facta. apparebit in catastro describi debeat, et non aliter, volentes extimum pro modo mensure fieri, et persolui debere.

Quod quisque alteri possit Stipulari. Rub. lxij.

Ex alienis Stipulationibus non immerito contrahentes cavendum altercationes oriri, et de nullitate dici statuentes, propterea determinamus quod quisque possit alteri etiam extraneo absenti in quibuscumque contractibus, et acquisitionibus stipulari, que stipulatio valeat et teneat, et si is in cuius favorem facta est presens fuisset, et acceptasset, et ex ea possit agi.

Liber Tertius

Proemium

Cum homo creaturarum nobilissimus in statu innocentiae creatus, et in paradiso deliciarum positus fuisset, in pluribus iniquitatibus se immiscuit, et inde hominum subcrescente malitia, leges iura, et ordinamenta, quorum timori mali coercerentur, et ut boni in eorum quiete vivere possent, et ne quisque sibi ipsi ius dicens, publicam perturbaret quietem; nec non ut mali noxius appetitus poenas debitas interdum meriti mali poena presenti a malis se abstinerent, et ad meliores vitae frugem reverterentur, divino quodam instinctu et motu adinventa fuere. Nosque attendentes his deficientibus sanctionibus, provincias, et regna perturbari undique et sine iis Terram hanc nostram minime saltem quiete subsistere posse absolutisque hoc proposito, quae ad Remp. et privatam bene gerendam, et gubernandam necesse fore arbitrabamur, existimantesque ad publicam privatamque tuendam, conservandam quietem deberet coertionem quamplurimum conferre. Ideo ad ea quae ad publica, et privata delicta, et malefitia coercenda utilia sunt nos convertimus.

De Citationibus in Causis Criminalibus Rub. I.

Statuimus, et ordinamus, quod ubicumque et in qualicumque causa, vel actu criminali esset aliquis citandus, si potest personaliter citetur, si vero non reperiatur citetur domi in scriptis cum dimissione cedulae quando citandus domus, vel domicilium haberet in hac Terra sive in eius districtu.

Si vero sit forensis, vel non haberet in nostro districtu domum vel domicilium, citetur ad valvas Palatii D. Gubernatoris per affixionem

61vo

cedularum facta intimatione per preconem alta, et intelligibili voce ad fenestras eiusdem Palatij.

De Procuratoribus in causis Criminalibus Rub. ii.

Statuimus etiam quod super qualumque causa Criminali, pro qua venisset pena corporis afflictiva imponenda, quis fuerit accusatus denunciatus, vel inquisitus, non possit extra carceres per procuratores excusari, vel defendi, nisi in confitendo pure, et simpliciter omnia contenta contra eum in accusa, denuncia, vel inquisitione, quo casu volumus per procuratorem, et extra carceres, ipsum accusatum denunciatum, vel inquisitum audiri.

De modo procedendi contra presentes in causis Criminalibus Rub. iij.

Statuimus, quod si quis de aliquo maleficio, vel delicto accusatus, denunciatus, vel inquisitus fuerit citetur per bajulum cum dimissione cedulę, continentis tenorem inquisitionis, denunciationis, vel accusationis factę, cum termino trium dierum ad comparendum, et se excusandum, et defendendum ab ipsa accusatione, inquisitione, vel denuntia, in quo termino, si reus non compareret, et aliquis pro eo compareat, teneatur Gubernator eidem comparenti assignare competentes termini octo dierum, vel decem ad comparendum, et si in dicto termino reus compareret cogatur previo iuramento respondere, et facta responsione super inquisitione, vel denuntia si testes parte citata fuerint examinati, sive confiteatur, sive neget contenta vel eorum partem inquisitione, vel denuncia, terminus assignetur quinque dierum, ad se defendendum

decernend

decernendo eidem copiam processus, alias testes repetantur parte presente, monita, uel citata infra triduum, si autem super querela negauit, terminus detur accusatori quinque dierum ad probandum contenta in dicta querela, cum monitione, uel citatione accusati ad dandum interrogatoria si uelit ad secundam, alias sint examinati, et inde accusatoris instantia, uel ex officio processus publicetur, et terminus prefatus quinque dierum, accusato assignetur ad se defendendum, quo elapso parte citata, monita, uel presente sententia feratur, prout Iuris fuerit. Si autem essent tormenta inferenda et in dicto termino quinque dierum, indicia contra eum existentia similiter non purgauerit, et non eliserit secundum formam presentium Statutorum ad tormenta ponatur, et deinde alius terminus quinque dierum assignetur eidem ad se defendendum, quibus elapsis sententia feratur prout iuris fuerit, condemnando, uel absoluendo, nisi ex causa ipse Iudex, alium similem, uel breuiorem terminum assignauerit, quem in defensionibus assignare ex causa possit.

De modo procedendi contra absentes Rub. IV

Item Statuimus, quod si accusatus, inquisitus, uel denuntiatus, ut supra citatus fuerit, et in dicto termino non comparuerit, iterum citetur simili modo cum cedule dimissione, cum termino trium dierum ad se defendendum, et excusandum, ac accusatione, denuntia, siue inquisitione formata, quibus terminis elapsis, ponatur in banno a Terra, et Territorio Tiburis in pena, qua ueniret condemnandus ad fenestras Palatij per nostrum preconem sono tube premisso, exprimendo causam propter quam banniatur.

62v.

cum assignatione termini quinque dierum ad comparendum, et se ex=
cusandum, et defendendum ab imputatis, in quo banni termino si com=
paruerit audiatur, ac si in prima citatione comparuisset. Si autem ipso
termino elapso non comparuerit virtute presentis statuti habeatur
pro legitime confesso, et convicto, ac testibus superato de supradictis omnibus
contentis, in accusatione, denuntia, sive inquisitione formata, et ci-
tatus diffinitive condemnetur in eadem pena.

De accusatoris, vel denunciatoris pena non probantis Rub. V.

Solent sepenumero homines ira moti, vel aliquo odio ad accusandum,
vel denunciandum esse solliciti, et quos odio prosequuntur, expensis, et
aliis impertinentibus gravari facere. Ideo statuimus, quod accusator
denunciator, vel querelator, tempore producte vel facte accusationis, de-
nunciationis sive querele, teneatur iurare de calumnia, et casu quo
non probaret saltem, per semiplenam probationem, vel per famam
condemnetur in lib. decem Camere Ill.mi Dni applicandas, et in omnibus
expensis parti adverse teneatur.

De sententiis ferendis Rub. VI.

Statuimus, quod sententie ferende criminales possint quacumque die, et hora
ferri dummodo condemnandus una die pro altera ad audiendum sen-
tentiam citetur, et feratur, coram duobus testibus, pulsata campana
Comunis, quas sententias clare volumus ferri, et non sub involucro ver-
borum ut salvo semper, et reservato condemnamus condemnari, vel si esset pro-
batum, vel per alia dubia verba ex quibus volumus Gubernatorem nec
iudicem excusari, et dictas sententias, reis in scriptis exhibere pena ipsi
Gube[rnatori]

inditi in quolibet casu, et qualibet vice xxv. lib. den.

Quod Bannitus ex maleficio, si pro alio maleficio contra eum procedatur possit secure venire. Rub. vij.

Statuimus quod si quis pro aliquo commisso maleficio fuerit bannitus vel condemnatus, et pro alio maleficio contra eumdem procederetur ipsa condemnatione, vel banno non obstante possit secure ad se defendendum comparere, dummodo constituat se in carceribus usque ad sententiam ferendam, et pro dicto banno, vel condemnatione in eundo, in redeundo, nec stando, in rebus vel persona possit molestari, sed si pro secundo maleficio fuerit absolutus libere relaxetur. Si condemnatus cogatur solvere condemnationem, et Gubernator, sive Iudex pro tali imputato delicto, requisitus teneatur licentiam sive ut aiunt, salvumconductum pro tali bannito, vel condemnato in scriptis concedere, de veniendo, stando, et redeundo secure, et pro quavis causa non molestari mandari

Quod ascendentes non teneantur pro descendentibus nisi in sententijs capitalibus Rub. viij.

Parentum innocentiæ providentes Statuimus, quod pater avus, nec aliquis alius ascendens, teneatur pro filio, vel alio descendente delinquente aliquam solvere condemnationem, vel executionem, nisi in sententijs capitalibus, ultimi supplitij, et tunc usque ad legitimam tali condemnato debitam de iure, et non ultra.

De Abolitionibus concedendis Rub. ix.

Offensi solent saepenumero iracundia, vel per errorem ad accusandum prosilire Ideo Statuimus quod ubicumque criminalis esset verbalis, vel de percussionibus manu vacua, et de turbata possessione, vel cum leui vulnere, et

et offensus peteret accusationis, denunciationis, vel inquisitionis formatę abolitionem. Gubernator sive Iudex concedat dummodo, denunciatus accusatus, vel inquisitus solverit solidos .5. et ipsa abolitione petita, desuper accusatione, denunciatione, vel inquisitione ulterius procedi non possit

Quod filiusfamilias, vel minor delinquens habeat legitimã personã stan: in Iudicio Rub. X.

Statuimus, quod filiusfamilias, vel minor XXV. minor tamen quatuordecim annis non furiosus, nec mente captus habeat, et habere censeatur legitimam, et habilem personam standi in iudicio, in Criminalibus causis etiã sine consensu, et authoritate patris, avi, vel curatoris, et per eum gesta, vel contra eum facta valeant, filij actione, vel minoritate non obstan:

De modo examinandi, et procedendi contra mulieres Rub. XI.

Publicę honestati, et sexus fragilitati consulentes, statuimus, quod mulier in qualibet causa pro informatione vel alias inducta, vel contra se ipsam examinanda foret non possit, nec debet examinari, sine presentiã unius saltim, vel parentum, vel proximiorum, his deficientibus unius ex dominis Prioribus, et nihilhominus, per ipsam deposita sint nulla ipso iure, et iuramentũ desuper delatum, presumatur dolo, et timorẽ extortum, ita ut in contrariũ probatio non recipiat.

De beneficio confessionis Pacis, et solutionis. Rub. XII.

Statuimus, quod confitenti delictum commissũ in prima sua excusatione, vel in quacumque parte Iudicij, dummodo prius non negaverit, in quarta parte minus totius pretij debeat condemnari. Et si pacem habuerit ab offenso etiam sine

etiam sine curatoris, vel patris, aut alterius, vel avi licentia, aut a patre, vel avo, sive a tutore, vel curatore offensi, et constet publico instrumento condemnetur in tertia parte minus, residui aliter totius si confessus non fuerit. Solvens, vero ante sententiam, vel post infra x dies aliam tertiam pars residui penae sibi relaxetur alias totius.

Quod ubi non est pena corporis affligenda, cautionem offerens non carceretur. Rub. xiij.

Et quoniam carcer est mala mansio, et ex eo etiam ignominia videtur inferri Propterea statuimus, quod nemo accusatus, querelatus, vel inquisitus, de quovis malefitio, ex quo non veniret pena personaliter imponenda, possit in carcere detineri, si offert, et potest idoneos prestare fideiussores de stando iuri, et iudicatum solvendo.

De Pena devastantium, vel percutientium Imaginem Dei, Virginis, et Sanctorum. Rub. xiv

Si quis autem iniuriose percusserit, vel devastaverit in totum, vel in partem aliquam imaginem, seu figuram Dei redemptoris, Trinitatis, vel Beatae Mariae semper virginis condemnetur ad refectionem figurae, vel imaginis devastatae et ad Triremes imperpetuum, vel ad tempus arbitrio iudicantis. Si vero devastaverit in totum, vel in partem imaginem, vel figuram aliorum sanctorum, incurrat penam ipso facto 1. lib. den. et ad refectionem imaginis vel figurae devastatae teneatur, et ipso facto compellatur.

De pena deridentium, vel aliquid in pena religione Rub. xv.

Si quis tantae temeritatis fuerit, ut deliquerit, vel deliserit aliquid inferendo contra religionem divina officia, vel alio modo arbitrio iudicantis condemnetur.

ad tirenes. Volumus tamen presens Statutum locum habere in tumores, strepitum, vel pulsationem facientibus in Ecclesijs tempore ut avant. Baptisterij trium dierum hebdomadę sanctę.

De pęna prohibentis, vel compellentis aliquem testari, vel contrahere. Rub. XVI.

Statuimus, quod compellens, vel prohibens aliquem ad testandū, vel testari vel aliam ultimam voluntatem faciendum, contrahendū, distrahendū, vel quasi ad aliquod quoq; instrumentū faciendū in lib. ducentis puniatur, et nihilominus ad damna, et interesse in duplum parti lesę teneat, et in eadem pęna puniatur minans ad aliquod predictorū faciendū, vel non faciendum, et nihilhs tali cogens, prohibens, vel minans, omni commodo, quod ex tali ultima voluntate, contractu, vel distractu, vel quasi consequtus fuerit, seu consequi posset, sit ipso iure privatus, et prohibuisse testari videatur, si quis notarium, vel testes accedere, intrare, vel rogari prohibuerit, seu prece precio, minis, vel aliter eos obduxerit, vel aliter impedierit.

De pęna petentis plus debito vel debitū solutū. Rub. XVII.

Petens in Iudicio vel coram Arbitris, vel arbitratoribus scienter plus debito, proprię vel improprie, seu debitum iam solutū, datū, factū vel satisfactum in perditione totius debiti, et lib. XXV. condemnetur, et petere intelligatur, quod in Iudicio, vel coram arbitris seu arbitratoribus ius suū deduxerit, et perseverat usq; ad litis contestationem, vel habitę pro contestata inclusive.

De pena officialium

De pœna officialium aliquid recipientium, vel extorquentium. Rub. xviij.

Statuimus, quod nullus Gubernator, vel alter ex cunctis officialibus nostris, vel familiaribus possit ultra salarium sibi ex forma Statutorum vel electionis debitum, aliquid accipere, vel quomodolibet extorquere, etiam esculenta, vel poculenta, vel aliquem incolam nostræ terræ familiarem, domesticum, vel commensalem habere, nec cum eo ludere pœna contrafacienti xxv. lib. den. et committens aliquam corruptelam, vel barattariam, vel aliquid, quod simonia possit appellari in pœnam l. lib. condemnetur, et in duplum rei acceptæ, vel extortæ teneatur, et eadem pœna teneatur, qui in ipsis officialibus vel altero eorum barattariam fecerit, et mediatores ipsi teneantur, et sint testes idonei ad ipsam probandam.

De Pœna incidentis pergulas vel vites. Rub. xix.

Statuimus, et ordinamus, quod si quis studiose inciderit vites, vel pergulas, vel eas eradicaverit, seu aliquo nocumento siccari fecerit usque ad quinque condemnetur in lib. l. pro qualibet pergula incisa eradicata vel sicca; abinde vero supra condemnetur, et transmittat ad triremes arbitrio Iudicantis, et Nihilominus ad duplum extimationis damni parti læsæ condemnetur.

De pœna instigantis aliquem canem vel alia animalia ad nocendum alicui. Rub. xx.

Instigans aliquem canem ad mordendum, vel alia animalia ad nocendum si quidem momorderit, vel nocuerit puniatur ac si ipse momordisset, vel nocuisset idem statuentes terrorem inferens animali super quo, quis sederet si cadere fecerit, si vero non momorderit, vel non nocuerit in lib. quinque puniatur.

65v

Quod pro executionibus domus non destruentur Rub. XXI.

Statuimus quod pro executione alicuius debiti civilis, vel Criminalis domus columbarium, sive palatium aliquod, vel cappanna intus vel extra terram predictam destrui, vel derogi, vel eorum Ostia, seu tegule, colume, ligna, vel aliud edeficio annexum tolli non possint pena officiali, vel alteri contrafacienti 1. lib. et nihilominus ad emendam in duplum domino teneantur.

Quod in re communi quis bene versetur Rub. XXII

Statuimus quod, si quis habuerit domum, vel aliud edificium commune cum alio etiam pro diviso, et non liceat alius extollere a latere, nec a qualibet parte in preiudicium alterius, nec aperire, vel murum destruere, in totum, vel in partem, vel eius ostia aperta continuo tenere, ex quo possit alteri damnum vel preiudicium aliquod generari, donec fuerit inter eos paries medius interiectus communibus expensis pena cuilibet contrafacienti XXV. lib et damni emendatione.

De Pena devastantis vestes, muros, aqueductus alienos, et similia. Rub. XXIII

Statuimus, quod si quis inciserit, laceraverit, destruxerit, ruperit, vel perforaverit, pannos, vestes, capsam piscleriam, arma aratrum, aqueductum alienum, vel his similia in lib. XXV. puniatur, et ad damni emendationem in duplum domino condemnetur.

De Pena piscantis in Piscleria aliena, vel fontibus Rub. XXIV.

Statuimus, quod si quis in aliena piscleria pisces ceperit, vel in ea vetria amos, vel alia ingenia, pro piscibus capiendis immiserit in libris .5. condemnetur, et eadem pena puniatur aliquod predictorum

attentans

attentans, vel perficiens in aliquo fonte particulari personarum vel nostri Communis; Immittens, vero toxica pro piscibus toxicandis, vel capiendis, in aliqua pischeria aliena eamdem pœnam incurrat. Si vero in aliquo fonte immiserit in lib. centum puniatur.

De Pœna extrahentis, vel alibi causas cognosci Procurantis Rub. XXV.

Cum primæ instantiæ cuiuscumque causæ, tam civilis, quam Criminalis, tam ordinariæ, quam extraordinariæ debeant de stilo, et consuetudine cognosci, decidi, et terminari per nostrum Iudicem ordinarium Statuimus, quod nemini, antequam terminetur causa prædicta instantia, per nostrum Iudicem, sive Gubernatorem per sententiam diffinitivam liceat trahere, citare, vel citari facere directe, vel indirecte aliquam Iurisdictioni nostri Communis subiectum civiliter vel Criminaliter, vel quovis modo, etiam per instrumentum ad aliud forum quam dicti Communis, in casibus in quibus, dictum Commune iurisdictionem habet, licet instrumentis debitor se alibi posse conveniri promiserit, vel fori privilegio renuntiaverit, vel etiam in eam per fori rescentiæ, quæ solo iuramento, per consentientes probetur pœna cuilibet contrafacienti lib. centum, et talis tractus ductus, vel citatus defendatur per nostros Priores sumptibus Communis, pœna cuilibet Priorum centum lib. si contrafecerit nisi in debitis, de quibus infra mensem per nostram Curiam coneretur cognitum.


De Prohibita alienatione facta forensi Rub. XXVI.

Statuimus, quod nullus Tricesimensis, vel alius possidens immobilia in nostro

distincta, possit per se, vel alium directe, vel indirecte publice vel oc-
culte sub quovis modo, vel quesito colore possessiones, nec alia bona
immobilia alicui mulieri Bretomiensi, nupte forensi, nec eius filijs, vel
alteri pro eis recipienti undecumque fuerint, vendere, pignorare, permutare, o-
bligare, vel alio quocumque modo alienare, per aliquem contractum sive scriptu-
ram, vel sine sub pena vendentis ammissionis rei vendite et emptoris
precij dicte rei vendite Cam(er)e Ill(ustrissi)mi D(omi)ni n(ost)ri pro dimidia applicand(a), et
pro alia dimidia Cam(er)e nostri Co(mmun)is accusatori, et executori pro equalibus
portionibus, et nihilominus talis contractus, sive actus non teneat ipso
iure, consuetudinibus, et alijs in contrarium forte facientibus non obstantibus
quibuscumque etiam si talia essent, de quibus hic specialis mentio fieri de-
beret, vel quorum tenores de verbo ad verbum inserendi essent.

Quod mulier dotata nupta forensi non succedat in bonis paternis vel maternis. Rub. xxvij

Statuimus etiam quod Mulier dotata et nupta alicui forensi non pos-
sit succedere in bonis paternis vel maternis, vel aliorum consanguineorum
extantibus ex eis filijs vel filiabus, aut alijs consanguineis usque in ter-
tium gradum. Si vero alij non fuerint consanguinei in tertio gradu
attinentes, vel proximiores talis mulier succedere valeat secundum quod
postulat ordo iuris.



Proemium quarti libri Iudiciorum extraordinariorum

Iudicia extraordinaria, licet minima, que a predictis [?] ut inquiunt, ceteri non videantur, nihilominus eorum, et ipsorum electio, ad Reip. quidem, et ad bonos vivendi mores pertineat. Propterea absolutis, Deo favente, hisque ad Reip. regimen, et ad Iudicia, tam Civilia, quam Criminalia, spectabant, superest, ut de extraordinarijs quoque Iudicijs, pro operis, et publice quietis, et utilitatis complemento pertractari debeamus.

De modo procedendi in extraordinarijs Criminibus Rub. i.

Statuimus, quod in Criminibus extraordinarijs, cognoscendis, et puniendis Iudex sive Gubernator noster et quilibet eius officiales insolidum Iurisdictionem, facultatem, et potestatem habeat etiam sine scriptis summarie, et de plano, sine strepitu, et figura Iudicij, sola facti veritate inspecta diebus quibuscumque, etiam in honorem Dei feriatis iuris, et Iudicij solemnitatibus substantialitatibus, et ordinibus pretermissis, super quibus liberam concedimus facultatem procedendi, per inquisitionem, inactiones, accusationem, sive denunciationem.

Quod officiali, vel unico testi in extraordinarijs plena fides adhibeatur. Rub. ij.

Decernimus, quod in Criminibus extraordinarijs ipsi officiali invenienti in flagranti, aut testi unico idoneo plenam fidem adhiberi, etiam quod ipsi officiali invenienti aliqua portio pene tangeret, et deberet.

Quod de omnibus inventionibus ad Cameram nostri Comunis copia trasmittatur. Rub. iij.

Statuimus, quod Gubernator, sive eius vicarius pena x lib. teneat de singulis

68v.

extraordinariorum Criminum inventionibus, accusationibus, et denuncijs per eum, vel alium factis infra biduum copiam trasmittere ad Cameram nostri Comunis, sub pena predicta, et nihilominus talis accusatio, inventio vel denunciatio sit ipso iure nulla, et ad interesse nostri Comunis teneatur.

De Penis exigendis. Rub. iv.

Statuimus, quod omnes pene extraordinariorum per bullettam manu alicuius officialis faciendis nostro Depositario sine remissione aliqua persolvendas exigantur et non aliter pena officiali aliter exigenti, vel contrafacienti x. lib. ipso facto, pro vice qualibet, de quibus penis dictus officialis habeat quartam partem dummodo in effectu in comuni devenire fecerit, et pena x. lib non possit nec partem exigere, vel suscipere, quin prius pro comuni exigerit.

De festis Colendis et pena contrafacientis. Rub. v.

Divinis sanctionibus obtemperantes statuimus, quod unusquisque omni qua decet reverentia custodiat, et ab omni laborerio, et opere servili se abstineat personaliter, et cum animalibus nec aliquid super eis portare, nec clitellam aptare, nec aliquod aliud opus, vel laborerium mecanicum facere, in singulis diebus festivis, de precepto s.tae Romanae Ecclesiae custodiendis et die festivitatis s.ti Crispoliti protectoris nostri pena cuilibet contrafacienti xx. sol. pro qualibet vice sine remissione aliqua solvenda et talis clitella ad aliorum exemplum publice in platea comburatur. Item in festivitatibus quatuor evangelistarum, et quatuor doctorum Ecclesiae s.ti Cirii de mense maij sanctorum Francisci, Georgij, Bernardini Michaelis de mense 8bris Nicolaij, Silvestri, Antonij de Vienna, Antonij de Padua Sebastiani

Blasij.

Blasij, Benedicti, Gregorij, Martini Episcopi, Mariae Madalenae, Barbarae, Egi-
dij, Ioseph, Annae, Beati Petri Heremitae et singulis veneris Martij, et
veneris sancti poena xx sol. pro quolibet et vice qualibet. In diebus fes-
tivis de precepto Eccl., in alijs vero festis x sol. si die precedenti per
loca solita fuerint bannita de mandato mei Gubernatoris, qui banniri
facere teneatur poena x lib. pro qualibet die festivitatum predictarum
alias nullus ad dictam poenam teneatur, et festum intelligatur vi-
gintiquinque horarum ab occasu solis ad aliud festivitatis solis occasum,
nec per Priores, nec per Gubernatorem possit in premissis prioribus
festivitatis licentia laborandi concedi, nec in ultimis minoribus nisi
ex rationabili causa.

De rebus necessaria exercendis. Rub. VI.

Multa sunt, quae ob necessitatem, etiam diebus festivis exerceri per-
mittuntur. Propterea statuimus, quod, qualibet die etiam festiva
unicuique impune liceat medici, flobotomari, et aromatarias pro in-
firmorum utilitate horesse apertas tenere, et res medicinales vendere, et
exercere, vendere quoscumque fructus, ova, casei, et alia comestibilia. Item
in nundinis, quae in hac nostra terra de mense septembris celebrantur, in qui-
bus etiam die festiva, liceat res ad nundinas quomodolibet pertinentes
etiam super animalibus asportare, et exercere; lateres, quoque lapides
seu calcem coquentibus in fornace, dummodo ignem eis apposuerint
in diebus predictis, liceat etiam redeuntibus extra terram predictam vi-
cinius districtu cum salmis vel sine, item portantibus aquam pro usu
necessarium colligentibus, et portantibus fructus pro quotidiano usu

Item [illegible]ntibus venientibus cum salmis, vel sine, vel quid vendentibus
Item si contingeret aliquod festum esse in die fori vel nundinarum, quod
tunc liceat unicuique tenere apotecas apertas, vendere, et res venales
portare cum salmis, vel sine. Liceat etiam in minoribus festivitatibus
predictis vias aptare, et alia opera pro Communi, vel aliqua Ecclesia
seu instante necessitate obtenta licentia a Gubernatore.

De vijs purgandis Rub. vij.

Statuimus quod noster Gubernator sive Iudex teneatur, et debeat ubi-
cumque per Terram processiones fieri deberent, per diem ante, et
quolibet die sabbati incipiendo a sabbato Palmarum per totum men-
sem Augusti, et qualibet die precedente Ascensionis, Corporis Christi
Assumptionis, et Nativitatis Beate Marie semper Virginis publice
banniri facere, quod quilibet debeat per totam diem illam mundare,
et purgare viam Communis sive vicinalem ante suas domos et
rem immunditiam, et obstaculum removisse, pena xv. solid. pro quo-
libet contrafaciente, et simile bannimentum fieri faciat pena
quinque lib. pro qualibet vice, tempore hiemali de glaciebus
rumpendis ante cuiuslibet domum, sub pena predicta inveniendi
vel exequenti officiali pro quarta parte applicandum.

De vijs Publicis et vicinalibus manutenendis Rub. viij.

Habens domum in dicta Terra iuxta vias publicas teneatur pro capacitate
sue domus, stabuli, cellarij, vel apotece ipsam viam aptare mundare ma-
nutenere, et rematonare si opus fuerit pena xl. solid. preter immun-
datione, et purgatione que sit xv. solid.

De vijs ad vicinandis

De vijs occupandis Rub. IX

Statuimus, quod vie, et strade publice tam intus, quam extra terram manu-
teneantur in debita earum latitudine, et nemini liceat aliquid ipsarum
in totum, vel in partem aliquid occupare, fodere, devastare, ingredire,
vel quid facere, quod eius usus aliquo modo impediatur pena
X lib. et occupatum, vel factum relaxet, et destruat.

Quod viam habens ad possessionem manuteneat Rub. X

Statuimus quod homini sive laboratores habentes vias, per quas ipsi
habeant accessum ad eorum possessiones, teneantur illas aptare, et
manutenere, et foveas iuxta eas facere prout expediens fuerit pena
quatraginta solidorum.

De Aqua, per viam derivante suscipienda Rub. XI.

Item statuimus ad tollendas difficultates, que sepe occurrunt, quod qui-
libet possessionem habens iuxta vias, teneatur in sua pro conser-
vatione viarum facere debitas foveas et aquam pro rata eius
possessionis suffere pena XL. solidorum.

De edificare volentibus prope vias vel
Bona Communis Rub. XII.

Statuimus, quod edificare volens iuxta vias vel alia loca nostri Commu-
nis intus, vel extra Terram, teneatur prius quam edificare incipiat,
requirere Priores et Sindicos Communis, qui locum ipsum inspicere, et de-
signare teneantur, et prout ipsi designaverint edificetur, et nullo ul-
terius pena contrafacienti in quolibet premissorum casu XXV. lib.
et Nihilominus factum demoliatur, et devastetur.

70v.

De Pena proiicientis immunditias in publicis viis, vel persona alicuius. Rub. xiij.

Statuimus, quod nemo faciat, vel proijciat aliquam immunditiam terram cineratam, vel similia, nec coria extendat in viis publicis, vel vicinalibus, porticibus, vel plateis, nec eas ingombret pena xx. solid. et ad remotionem nihilominus facientes, vel proiectores de facto compellantur. Si autem ex immunda proiectione fuerit facta iniuria, vel lesio persone, vel pannis alicuius si non studiose in solidis xx. puniatur, et ad damni illati extimationem leso teneatur, et eadem pene teneatur proijciens aquam vel immunditiam aliquam supra vel iatus domus alicuius.

Quod habens possessionem iuxta viam foveas faciat. Rub. xiv.

Habentes possessiones iuxta vias Comunis teneantur foveas facere ita ut aque pluviales et alie per vias non currant, necnon sepes, et factas ubicumque fuerit opus teneant, ita quod transeuntibus non sit impedimento pena xxx. solid. et nihilominus ad predicta facienda contrafacientes compellantur. et Notarius de novo datus teneatur de predictis diligentem inquisitionem facere, et contravenientes punire.

De Versatorio. Rub. xv.

Statuimus quod nulla persona possit facere versatorium matorium seu acquatorium, sive latrinam quod exeat in vias Comunis vel domum seu casalenum alicuius pena quinque lib. et nihilominus claudere, et devastare teneantur, ita quod vicinis, et transeuntibus nullus

fetor

fetor inducat, vel immunditiam ostendat, et facta per quos ad cuiuscumque instantiam tollantur.

De Cursu aque Pluvialis Rub. XVI.

Statuimus, quod nemo in preiudicium alterius mutare, deviare, vel deformare possit cursum aque pluvialis, sive stillicidij, vel alterius aque consuetum a decem annis citra pena X lib. et ultra penam contrafaciens teneatur reducere aquam in pristinum cursum, et habens cursum aque per domum, vel possessiones alterius intro, non impediat. nec aliquis in eo immunditie, vel aliud impedimentum faciat vel proijciat pena l. solidorum.

De Androne sive fovea Comuni purgonda Rub. XVII.

Statuimus, quod si repleta, vel alias ingombrata, vel impedita reperiretur fovea, antro cuniculum, vel quid aliud Commune inter alios, Gubernator, sive Iudex noster ad cuiuscumque instantiam licet extra iudicialem, cogat ipsas partes ad purgandum, disgombrandum, aptandum, mattonandum, et murandum, prout ipsi videbitur.

De Pena deviantis aquas a solito Cursu Rub. XVIII.

Item statuimus, quod nullus possit deviare aquas a solito earum cursu imo in suo solito cursu aptando, manutenere et curare ac deviantur pena X lib. cuilibet quis pro eius servitio, et sine preiudicio alicuius per aliquas terras deviaverit, et inde eadem die diligenter reaptaverit.

De Pane vendendo vel ne. Rub. XIX.

Statuimus quod nemo panem in dicta terra, et eius districtu vedat

nisi prius fuerit per officiales Communis assectatus, nec possit panis vendi nisi ad pondus pena x. lib. pro qualibet uncia panis, et qualibet vice, et officiales huiusmodi assectatores predicti in generali consilio deputentur.

De Macello vendendo Rub. xx.

Priores, qui pro tempore fuerint teneantur saltem per quindecim dies ante festum Paschatis Resurrectionis D. N. Iesu Christi banniri facere saltem ter diversis vicibus, et diebus, per loca publica et consueta, quod volens emere macellum Communis pro anno futuro usque ad carnis privium compareat pro certa die coram ipsis dominis Prioribus, et meliora pacta pro Communi offerenti tradatur, recepta satisdatione de oblatis servandis et solvendis suis loco, et tempore, et que sint meliora pacta declaretur si opus fuerit per Consilium generale, et usque quo macellum non fuerit alii traditum, quisque possit sua capitula, et conventiones dare, corrigere, mutare, addere, et emendare. Si autem nullus fuerit repertus macelli licitator, declaratione dicti Consilii stetur, an iterum sit banniendum, vel omnibus volentibus permitti facere carnes, aut aliquem inducere ad macellum, vel aliter providendum.

De Carnibus nisi per Macellarium Communis vendendis Rub. xxi.

Decernimus nemini licere vendere carnes in dicta Terra et eius districtu, nec eas causa vendendi facere, postquam macellum fuerit venditum pena xx. lib. pro quolibet, et qualibet vice exceptis carnibus alicuius animalis.

animalis lupati, vel spallati, que ad hunc soldum vendi possint et nullatenus in macello Communis et preter carnes capretorum minoris ponderis xx lib. ~~que cuiuslibet et qualibet vice~~ que ad quantum per quemlibet vendi possint, et preter carnes vorum, salatas, et siccas ac etiam omnibus liceat a festo Nativitatis Dni nri Jesu Xpi usque ad circumcisionem inclusive carnes quascumque facere, et vendere prout actenus observatum fuit

Quod Macellarij Communis carnes habeant et cuique vendant Rub. xxij.

Macellarij Communis teneantur, et debeant in dicto macello habere de carnibus ad sufficientiam, et vendere cuique petenti, in quocumque membro ibi existente, et nulli renuere pena xx solid. pro quolibet vice qualibet, et si que petia carnium esset vendita non retineantur in macello vel loco patenti sub pena predicta, et teneantur tenere et habere de carnibus bonis, et sanis, tam castratinis, quam porcinis, et agninis non minoris ponderis xx. lib. tempore congruo.

De Carnibus retinendis per Macellarios Cois Rub. xxiij.

Teneantur nostri Macellarij omni tempore retinere carnes Castratinas, Agninas, vero usque ad mensem Iulij porcinas a Cal. octobris usque ad Carnisprivium, et agni intelligantur qui retinent dentes lactarolos, et non retinentes reputentur montoni, vel pecudes vitellinas quoque tenere et habere debeant ad minus in vigilijs, et festivitatibus Ascentionis, Pentecostem, Assumptionis Beate Marie semper Virginis omnium Sanctorum

Nativitatis Dni Nri Iesu Xpi in Calendis Ianuarij et Carnis Privio cum tribus diebus precedentibus, et ultra dicta tempora saltem semel in mense pęna in quolibet casu duarum librarum.

Quod Carnes vendendę signentur per officialem Rub. xxiv.

Statuimus etiam, quod Macellarij predicti non occidant nec vendant quodcumque animal nisi prius ostenderint Dnis Prioribus, et per eos carnes fuerint visę et sigillatę pęna xxx. solid. pro qualibet vice, et dictas carnes apparenter retinere, et non absconditas, nec in aliquo loco reclusas sub pęna predicta.

Quod non Macellentur carnes infectę Rub. xxv.

Statuimus, quod Macellarij non possint modo aliquo occidere animalia infecta, vel non sana, et presertim Sirolosa tottomenia Castratos giallos subcustolosos infestigosos, vel habentia bissolam, nec eorum carnes in macello habere, nec vendere pęna centum solidorum pro quolibet animali.

De Ponderibus Macellariorum Rub. xxvi.

Non possint Macellarij in dicto macello alia pondera nec vendere quam equis, et iustis sibi per nostrum Commune assignandis sub pęna centum solidorum; bilances quoque equas, et iustas debeant quoque retinere continuo sub dicta pęna centum solid. pro qualibet vice, et iustum pondus cuique debeant sub pęna xx. solid. dari pro qualibet uncia quam dederint, et emptori ad restitutionem eius, quod minus dederint in quadruplum teneantur, et credatur officiali invenienti, vel ipsi emptori cum uno cum alio.

cum alio incastramenti respondeant.

De Modo vendendi carnes Rub. xxvij.

